




ALBINI SIVE ALCVINI

Parisiensis Academiæ conditoris in septem psalmos pœnitentiales & CXVIII. psalmũ, & in Cantica graduum pia ac breuis expositio.

Drogonis Hostiensis episcopi de Sacramento dominicæ paßionis pia & docta commentatiuncula.







In geminam anchoram.

Fundabat satis Aonias una anchora puppes,
Dum tantum Ausoniis musa nataret aquis.
Nunc quum Palladiæ sulcant maria omnia naues,
Visa ꝙ una parum est anchora, facta duplex.

Lutetiæ Parisiorum cum priuilegio ad sexennium, per Nicolaum Diuitẽ uia sacerdotũ, ad diuæ Genouefes, sub insigni geminæ anchoræ.

Anno M.D.XLVII. *Cal. Iunij.*



NICOLAVS DIVES TYpographus candido Lectori.

IN TIBI candide Lector duorum ueterum Theologorũ doctißima pariter & piißima opuscula, Albini (quem & Alcuinum uulgo appellant) Caroli Magni quondam praeceptoris, & Parisiẽsis Academiae primi institutoris, in septẽ psalmos poenitentiales, & psalmum centesimum decimumoctauum, & cãtica graduum breuißimam & pro breuitate facilimam expositionem: praetereàque Drogonis Hostiensis episcopi commentatiunculam in dominicam paßionem. Hoc par non libellorum, sed preciosißimorũ unionum è tenebris atque situ nuper erutum his nouis typis excusum tibi amice Lector obtrudimus, specimen quasi quoddam institutae nuper à nobis typographicae officinae. Quòd si hasce laboris nostri primitias tibi non fastidiri intellexero, ad maiora deinceps aggrediar: nec prius labori aut sumptibus parcã, quàm optima quaeque utriusque linguae exemplaria in hanc breuem & expeditam formã redegero. Et quidem propediem ad editionem accingar psalmorum doctißimi uiri Iõannis Gaignei, Ecclesiae atque Academiae Parisiensis cancellarij, opera in uaria carminum genera digestorum. Nam & dignus est liber, qui omniũ manibus teratur: & ita uir de me meritus est, qui nos solus suis copiis ad hoc institutũ prouexit, ut ab eius potißimum scriptis nostrum futurum laborem auspicer, si prius his duobus libellis iudicij tui uadum tentauero. Vale.

Lcuinus siue Albinus monachus & diaconus, abbas monasterij sancti Martini Turonensis, natione Anglicus, sancti Bedæ presbyteri quondam auditor, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularium literarum peritia nulli suo tempore secundus, carmine excellens & prosa, de Britannia ab imperatore Carolo magno euocatus, in tanta familiaritate apud eũ habitus est, ut imperatoris magister delicioſus fuerit appellatus, cuius magisterio ipse imperator omnibus liberalium artium disciplinis initiari satagebat. Scripsit multa præclara uolumina, de quibus feruntur,

De sancta Trinitate & fide,	Libri	III.
Ad quæstiones Fredigisi	Lib.	I.
Ad Eulaliam de ratione animæ,	Lib.	I.
Ad Guidonem comitem de uirtutibus,	Lib.	I.
Sententiarum.	Lib.	I.
In Genesim,	Lib.	I.
In Cantica canticorum,	Lib.	I.
In Ecclesiasten,	Lib.	I.
In Euangelium Ioannis,	Lib.	VII.
In Epistolas Pauli,	Lib.	XIIII.
In Apocalypsin Ioannis,	Lib.	I.
De adoptione filiorum Dei,	Lib.	I.
De Ecclesiasticis dogmatibus,	Lib.	I.
Speculum paruulorum,	Lib.	I.
De nominum Dei proprietate,	Lib.	I.
Ad discipulos dialogus,	Lib.	I.

Vita sancti Vedasti episcopi,	Lib.	I.
Enchiridion in quibusdam psalm.	Lib.	I.
Epistolarum ad diuersos	Lib,	I.
De artibus liberalibus,	Lib.	I.

Alia quoque multa scripsisse dicitur: quæ tamen ad notitiam meam non uenerunt. Claruit *sub imperio* Caroli *magni.* Anno Domini D.CCLXX.

De Drogone *aliud nihil scriptum reperio, nisi quòd primum abbas sancti* Ioannis Laudunẽsis *fuerit, deinde episcopus* Hostiensis. Aequalis *autem fuit diuo* Bernardo *, cuius ad ipsum* Drogonem *epistolam uisum est subiicere , quòd mirificum sanctitatis ipsius* Drogonis *testimonium contineat.*

DROGONI MONACHO BERnardus de Clara ualle.

q Voniam non immerito tui iam dudum non mediocri fueram affectus amore: nũc apparet dilectißime Drogo. Et ante quidẽ totum pulchrum, totum erat amabile quod cernebaris: sed ego nescio quid aliud de te supra id quod uidebam aut audiebam ex te excellentiori dignũ ueneratione præsenseram. Nunquid forte cælestis spõsi, cui tu nunc arctius castis te amplexibus impreßisti, iam tunc uocẽ audieras dicẽtis ad pudicißimã turturem suã animam tuã, tota pulchra es amica mea, tota pulchra absque eo quod intrinsecus latet. Quid fecisti? Quis hoc crederet? Sanctũ te ac religiosißimũ tota ciuitas personabat, ita ut nihil tibi addi posse crederetur ex omnibus bonis: & tu uelut è secularibus unus, monasteriũ tãquam seculũ deserens, iam attritum Christi sarcina collũ, nouæ rursum obseruãtiis disciplinæ submittere nõ erubescas? In te nunc frater uerã probamus illã esse sententiam qua dicitur: Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit. Indiciũ ergo tuæ cõsummationis est, ut quod nunc cœpisti, & in quo arbitraris te non cõprehendisse, iam comprehendas. Nemo quippe perfectus qui perfectior esse non appetit. Et in eo quisque perfectiorem se probat, quòd ad maiorem tendit perfectionem. Sed ecce charißime is cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum, arcum suum tetendit & parauit illum. Et quia pulsus de corde tuo intus potestatem amisit, foris seuiet quantum poterit. Et ut apertius loquar, nescis quia pharisæi scandalisati sunt in hoc

uerbo quod fecisti! Sed memento non omnium scandalū magnopere curandum, iuxta responsionem domini dicentis: Simite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Melius est enim ut scãdalū oriatur, quàm ueritas relinquatur. Memento qui natus fuerit in ruinam & resurrectionē multorum, & non mireris si tu quoque aliis quidem sis odor uitæ in uitam, aliis odor mortis in mortem. Si maledictiones intentauerint, si anathematū intorserint spicula, audi Isaac pro te respõdentem: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Sed & tu muro inexpugnabili cõscientiæ tuæ circummunitus deintus, responde & dic: Si consistant aduersum me castra, nõ timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium: in hoc sperabo. Non enim confunderis cum sic loqueris inimicis tuis in porta. Confido autem in domino, quòd si ad primos ictus fortiter steteris: & nec minis eorum cesseris nec blandimentis: cito conteres satanam sub pedibus tuis: & tūc uidebunt recti & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.

ALBINI MAGISTRI, QVI ET ALCVI-nus dicitur, Caroli magni quõdam praeceptoris, expositio pia ac breuis in septem psalmos poenitẽtiales.

Titulus Psalmi est, in finem David in carminibus pro octaua: quo in finem, id est Christum David respiciens hymnos & carmina cãtabat, pro octaua, id est pro desiderio futurae resurrectionis. Peccatricẽ autem animã hortatur hic suo exemplo David, ut non statim desperet, etiam si grauiter peccarit: sed abluto lachrymis poenitentiae conscientiae suae lecto, ad medicum Deum recurrat, qui ulcera peccatorum suorum sanet.

Psalmus VI.

" Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in
" ira tua corripias me. Ira est longa indignatio: furor uero repentina mentis accensio. sed ira aeternam impiorum significat poenam, furor ignem purgatorium: & de utraque uir poenitens liberari se à
" Deo postulat. Miserere mei Domine, quoniam infir-
" mus sum: sana me Domine, quoniam cõturbata sunt ossa
" mea. Valida est misericordiae precatio, peccati cõfessio. Ille misericordiam Dei inueniet, qui se miserum confitetur. Quoniam infirmus sum, sana me, inquit, domine: ac si dicat, infirmus sum per peccatum, sana me per misericordiam: quoniam cõturbata sunt ossa mea, omnes inquam uirtutes, quae propter sui soliditatem ossa appel-
" lantur. Et anima mea turbata est ualde: sed tu Domi-
" ne usquequo? In primo quidem homine transgressa

anima mea uirtutes omnes perdidit, & inde turbata est per poenitentiam, ut emundetur. Et tu domine usquequo, Subaudi, animam meam, quae uehementer conturbata est, non eripis, non corrigis, non emendas?

» Conuertere domine, & eripe animam meam, sal-
» uum me fac propter misericordiam tuam. Nisi enim animam nostram ante conuerterit, nemo eam eruet de periculo. Vel conuertere domine, & dirige nos per misericordiam tuam, atque aspice: qui propter peccata nostra faciem tuam auertisti à nobis. Et eripe animā meā ab imminenti scilicet supplicio, & saluum me fac non
» meis meritis, sed tua misericordia. Quoniam non est
» in morte qui memor sit tui: Non enim mortui laudabunt te domine: sed nos qui uiuimus: quia non est mor-
» tuorum Deus, sed uiuorum. In inferno autem quis
» confitebitur tibi? Subaudiendum est ad ueniam: quia in hoc mundo propriè confessio dicitur, ubi & uenia
» reperitur. Laboraui in gemitu meo. Hic poeniten-
» tiae suae modum exponit. Lauabo per singulas noctes lectum meum. Lectum, delectationē corporis in-
» telligamus. Lachrymis stratum meum rigabo. Riga-
» re uberius aliquid significat q̄ lauare. Stratum autem
» significat cumulum peccatorum. Turbatus est prae
» ira oculus meus. Propter iram Domini oculum suum dicit esse turbatum. O Deus per quem mihi supplicia praeparata, turbata est mens mea, & totum principa-
» le cordis mei contremuit. Inueteraui inter omnes ini-
» micos meos. Inueteraui, in ueteris hominis Adae iniquitate permansi, inter omnes inimicos meos, siue inter spiritus diabolicos, siue inter nostra peccata. Discedi

te à me omnes qui operamini iniquitatem. Postquam enim misericordiam consecutus est, cohortatur ac docet uti se habeant: quos non uult iniquorum habere consortium. Discedite ergo inquit à me maligni, Quoniam
„ exaudiuit Dominus uocem fletus mei. Exaudiuit
„ Dominus deprecationem meam, Dominus orationem
„ meam suscepit. Vnam eandémque rem multipliciter repetit, quod solent facere gaudentes & lætantes.
„ Conuertantur & erubescant inimici mei, conuertan
„ tur & erubescant ualde uelociter. Non contra inimicos, sed pro inimicis orat, ut conuertãtur à peccatis suis & erubescant, non leuiter, sed uehementer: nec crastino, sed cito, ac præsenti tempore, Amen.

Titulus Psalmi est intellectus David: quia scilicet intellexit David, & nos suo iubet intelligere exẽplo, nullum esse tam graue peccatum quod non gratuitò nobis Deus remittat, si parati simus illud confiteri & à prauis uijs abstinere.

Psalmus XXXI.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Illorum scilicet remittuntur iniquitates, quorum peccata per confessionem à Domino Deo diluuntur: & quorũ tecta sunt per charitatem peccata: iuxta illud, charitas operit multitudinem peccatorum. Vel quorum tectá sunt peccata, ut hic per pœnitentiam uelentur, ne in iudicio reuelentur. Iniquitates quidam appellant, quæ ante bap-
„ tismum fiunt: Peccata, quæ postea perpetrantur. Bea
„ tus uir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in

ore eius dolus. Quod tegitur, non uidebitur: quod nō imputatur, nec punietur. Nec est in ore eius dolus, hoc est in illius ore, qui se confitetur esse peccatorem: sicut publicanus, qui dixit, Domine propicius esto mihi peccatori. Quia qui sibi displicet, ipse Deo placet, nec est in ore eius dolus, sed in ueritate credens Deo, quod in corde habebat, ore confitebatur. Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea dum clamarem tota die. Non prætuli confessionem ad salutem, ideo omnis fortitudo mea in carnis infirmitate consenuit. Dum clamarem, clamant multi si quid boni habent, ac per uanitatem demonstrant. Tacent siquidem impij & clamant. Tacent, quod loqui fas est: loquuntur quod tacere debent. Tacent, dum sua abscondunt peccata: clamāt, dum sua prædicant merita. Tacent peccatorū confessione, clamant meritorum præsumptione. Quid autem est, dum clamarem tota die, nisi dum in clamando perseuerarem?

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum configitur mihi spina. Peccatori grauis est manus quæ flagellat, & ponderosè uindicat. Die ac nocte, continuū tempus significat. Aliter autem fœliciter humiliatus non esset, nisi eum manus diuinitatis comprimeret. Conuersus sum in ærumna mea, id est intellexi peccatum meum, postquam ærumnosum me fecisti sub tuæ potentiæ aggrauatione. In ærumna, id est in miseria. Quid est autem spina quæ configitur, nisi stimulus conscientiæ peccatricis? Delictum meū cognitum tibi feci, iniustitias meas non operui. Idem est cognitum facere, & non operire, hoc est confiteri. Quia si homo peccatum nō co-

gnoſcit, Deus nõ ignoſcit. Delictũ uero quidã putauerũt leue peccatũ: iniuſtitiã autẽ, immane aliquod cõmiſ
" ſum. Dixi pronunciabo aduerſus me iniuſtitias meas do
" mino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei. Pronunciabo, dixit, hoc eſt publicè confitebor, ut alios ſcilicet ad imitationem trahat. Impietas autem cordis fuerat, qua tacere decreuerat. Aduerſum me, inquit, pronunciabo, id eſt me ipſum accuſabo: & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei: quando quæ prius geſſeram, miſericorditer in
" dulſiſti. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tem
" pore opportuno. Tempus opportunum ad orandum pro peccatis hæc uita eſt: in qua ideo ſancti orant,
" quia non eſt à peccatis immunis aliquis. Verunta
" men in diluuio aquarum multarum ad eum non appro
" ximabunt. Multi fluctus diluuiorum in iudicio impios uoluent, qui ſanctis nociturі non erunt: neque ad eum approximabunt tormenta, qui pro ſuis hic pecca
" tis orare non ceſſat. Tu es refugium à tribulatione
" quæ circundedit me, exultatio mea erue me à circundan
" tibus me. Mihi in iſto diluuio non eſt refugium niſi tu: Exultatio mea, inquit, redime me. Sed iam exultas: Quid uis redimi? exultatio mea redime me. Gaudes, & gemis? Ita inquit, gaudeo & gemo. Gaudeo in ſpe, gemo adhuc in re. Ideo ſubdit, redime me à circundantibus me, ſiue uicijs carnalibus ſiue ſpiritibus immundis, qui nos
" perdere præcipiti uelocitate feſtinant. Intellectum
" tibi dabo, & inſtruam te in uia hac qua gradieris, fir
" mabo ſuper te oculos meos. Vox Domini uox intellectum dantis. Ipſe eſt enim intellectus, quem pſalmi titulus uerè indicauit, quem pœnitentibus poteſtas Domi

ni clementer infudit. Addidit autem, & instruam te, id est nescientem docebo salutarem uiam. Via est enim qua ingressus fuerat, seruire Deo prioris actionis pra-
» uitate dãnata. Sequitur, firmabo sup te oculos meos, id
» est dirigam in te lumẽ intelligẽtiæ meæ. Nolite fieri si-
» cut equus & mulus, in quibus nõ est intellectus. Qui non Dei uoluntate, sed proprio se motu regere uolunt, effrenes in luxuriam decidunt. Hos propheta cohercet
» uerbis terribilibus dicens: In chamo & freno ma-
» xillas eorum constringe, qui non adproximant ad te. Freno & chamo moderationis suæ Deus cohercet impiorũ superbiam, qui iactant merita sua, & tacent peccata sua: qui, inquit, non approximant ad te, à quo per
» superbiam elongantur. Multa flagella peccatorum,
» sperantes autem in Domino misericordia circundabit. Qui pœnitentiam egerunt, illi misericordiæ uitam merẽtur sempiternam, quia rectã spem & fidem in Deo habent: ipsosq; misericordia Dei circundat, ut non sit relictus locus, unde posit ad eos diaboli hostilitas in-
» troire. Lætamini in Domino & exultate iusti, &
» gloriamini omnes recti corde. Propheta hortatur Ecclesiam lætari de spe uitæ æternæ & regenerationis. Tamẽ lætatur & hic tribulatione. Gloriamini omnes recti corde. Vt ait Paulus, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Recti corde dicuntur, quibus omnia Dei iudicia placent, & qui se accusant de suis peccatis, & Deũ siue in aduersis siue in prosperis semper laudant.

Titulus Psalmi.

In finem Psalmus Dauid in rememorationem diei

ſabbati. Sabbatum requies interpretatur, quia re- quieſcunt ſancti, id eſt ſancta Eccleſia. Admonet autẽ nos Pſalmus, ut ſi cuiquam accidat infirmitas corporiſ- que fragilitas, non deſiſtat cæleſtem requirere medicĩ- nam, in qua requieſcat. In hoc uerò Pſalmo corporis ſui cauſam Chriſtus agit, non quòd ipſe peccatum habe ret, ſed quòd pro nobis peccatum factus eſt, ut nos à pec cato liberaret: qui aliquando ex perſona ſolius capitis loquitur, quod eſt ipſe ſaluator natus ex Maria uirgine: aliquando ex perſona corporis ſui, quod eſt ſancta Ec- cleſia, diffuſa toto orbe terrarum: idcirco quòd corpus loquitur, hoc idem & caput. Erunt igitur duo in carne una Chriſtus & Eccleſia.

Pſalmus XXXVII.

" Domine ne in ira tua arguas me, neque in furo
" re tuo corripias me. Ira ut iã diximus com motio eſt animi, furor uero uindicta irratio- nabilis cum fellis amaritudine. Ideo iſte qui ſe peccato- rem ſcit, non in ira, ſed per miſericordiam: nec in furo re, ſed per patientiam argui ſe poſtulat. Sunt tamen qui iram æternam intelligant gehennam, & furorem pur- gatorium ignem, à quibus liberari uir ſanctus poſcit.

" Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirma
" ſti ſuper me manum tuam. Sagittæ uerba doctrinæ tuæ ſunt, quæ ut iaculum tranſuerberauerunt cor meũ, ut agerem pœnitentiam: & confirmaſti ſuper me ma- num tuam, ut tanquam bonus magiſter caſtigationis
" uerberibus afflictum redderes emendatum. Non eſt

,, *sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax oßibus*
,, *meis à facie peccatorum meorum.* Vidi faciem iræ
tuæ & non ipsam iram. Hoc est, intellexi per scripturas
sanctas quanta minabaris peccantibus, & extabui,
petēs, ne ipsa super me ira descenderet: quia nō est pax
oßibus meis à facie peccatorum meorum. Nullam quietem
indulsi uel oßibus meis uel membris meis, donec ea
,, *purgarem.* Quoniam iniquitates meæ supergressæ
,, *sunt caput meum.* Inualuerunt enim mihi, ut sequi-
,, *tur.* Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Non
est enim mihi leue peccatum meum, sed recognosco quia
graue pondus iudicij imposui, & super uerticem capi-
tis mei excreuit. Sicut pondus grāde, sic peccata mea su
,, *per me.* Computruerunt & corruptæ sunt cicatri-
,, *ces meæ à facie insipientiæ meæ.* Nam mihi fœtent
& computrescunt uulnera peccatorum: desiderantérque
expecto medicum. Et quur, inquis, putruerunt à fa-
cie insipientiæ meæ? quia nolebam agere pœnitentiam.
,, Miser factus sum & turbatus usque in finem, us-
que dum confitendo purgarer: quia sine confeßione &
,, *mœstitia non dimittuntur peccata.* Tota die contri-
,, *status ingrediebar.* Indignum me esse iudicans qui
uel oculos ad cælum leuare auderem: sed percutiens
pectus meū aiebam, Deus propicius esto mihi peccatori.
Tota die, autem continuationem doloris significat.
,, Quoniā lumbi mei impleti sunt illusionibus, & nō
,, *est sanitas in carne mea.* Illis illusionibus se profitetur
esse repletum atque infirmatum, quibus diabolus hu
,, *manū genus illicit ut delinquat.* Afflictus sum &
,, *humiliatus sum nimis, usquequaque rugiebam à gemitu.*

„ cordis mei. Possumus corpore curuari & animo nõ humiliari: ideo hic utrunque coniunctum est: quia mul tiplex calamitas liberum nil relinquit. Hic etiam aliquid maius adiecit dicens, usquequaque, id est ex omni parte: ut eũ copiosa calamitas undique probaretur ambisse: Rugiebam à gemitu cordis mei: ut uirtutem patientiæ magnæ monstraret, in gemitum se asserit non in uer
" ba prorupisse. Domine ante te omne desideriũ meũ. Tale fuit desiderium eius ut ante Deum esse mereretur. Nam qui peccatis ueniam petit, ante Deum ponit desiderium suum. Iam quod ante ipsum est, consueuit
" audiri. Et gemitus meus à te non est absconditus, id est quicquid habet homo, Deus scit. Quicquid deliqui, quicquid, male gessi, omnia tibi cũ gemitu reseraui: sciẽs
„ quia tibi nõ occultãtur occulta. Cor meũ cõturbatũ
„ est, & dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum
„ meorum, & ipsum non est mecum. Propter iram quam superius memoraui, & incurrere expauesco, lumen oculorum meorum non est mecum. Quia postposito ueritatis lumine, in tenebras decideram peccatorum. A principio Psalmi Christus egerat causam sui corporis, nunc uero suam propriam incipit perorare pas-
" sionem. Amici mei & proximi mei aduersum me ap
" propinquauerunt ac steterunt. Amici dicti Iudæi propter Abraham. Proximi, eo quòd ab eorum generatione carnẽ Christus sumpserit, qui appropinquauerunt ei, ut comprehenderetur. quod uerò ait, amici mei & noti mei contra me steterunt: potest & de discipulis accipi qui in passione metu territi longè recesserunt, in tantum ut etiam Petrus denegaret, uel steterunt cau-

„ *ſantes contra eum.* Et qui iuxta me erant, de longe „ ſteterunt. Apoſtoli ſcilicet uel reliqui diſcipuli, de quibus ait Euangeliſta: Cum apprehendiſſent „ eum, ſtabant omnes noti eius à longe. Et uim facie- „ bant, qui quærebant animam meam. Vim faciebant non noti, ſed Iudæi, uel Petro: quum dicerent, nónne & tu Galilæus es? uel Ioanni: qui quum traderetur, relicta ſyndone nudus profugit ab eis: uel ipſi „ etiam Chriſto. Et qui inquirebant mala mihi locu- „ ti ſunt uanitates, & dolos tota die meditabãtur. Multos quidem dolos meditati ſunt, quum interrogarent ſi deberent cenſum dare Cæſari, aut ſi mulier deprehenſa in adulterio lapidaretur. Sed tunc apertè dolos ingerunt, quum falſos teſtes adducunt. Locuti ſunt autem uanitates, quando dixerunt, in Beelzebub eijcit dæmo „ nia. Ego autem ſurdus non audiebam, & ſicut mu „ tus non aperiens os ſuum. Semper inquit exprobrã tes ſubſtinui & iugiter ſilui. Hoc & Pilatus manifeſtat cum dicit: Mihi non reſpondes? An neſcis quia poteſtatem habeo dimittere te? Ego autem tanquam mutus non aperiẽs os ſuum. Certè & apud Pilatum non eſt Deus noſter locutus. & de eodem loquitur Eſaias atque ait: Tanquam agnus ad uictimam ductus, non aperiens os „ ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens & „ non habens in ore ſuo redargutiones. Nam quum me ſputis linirent, arundine uerberarent, illuderéntque genu flexo, nihil motus ijs omnibus, factus ſum non habens in ore increpationes. Sic tacui accuſatus, quaſi non habens quod pro me reſponderem. Et in omnibus ijs exemplum Chriſtus dedit, ut homo flagella cor-

" reptionis patienter portet. Quoniam in te Domine
" speraui, tu exaudies me Domine Deus. Vt me resu-
scites. Vel exaudi me, hoc est uide illorum superbiam
" & meam humilitatem. Quia dixi, nequando super-
" gaudeant mihi inimici mei, & dum commouentur pe-
" des mei, super me magna locuti sunt. Pedes Christi
sancti apostoli dici possunt, qui firmi in passione tanquã
pedes corpus substinere eum debebant, sed commoti
sunt de fide, ad infidelitatem. Vel de Christo ait com-
moueri possunt pedes mei à stabilitate sua, & inimici
mihi insultare, si in hac crucis morte humiliatus non re-
surrexero. In me autem magna locuti sunt dicentes, Si
" filius Dei es, descende de cruce. Quoniam ego in fla
" gella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo sem
" per. Præparo me, inquit, ad sustinendum crucem,
lanceam, fel, acetum: ut per hanc mortem redimam po-
pulum pereuntem. Christus enim ad hoc uenit ut pas-
sionem sustineret. Dolor meus ante me est semper, do-
" nec etiam uictoriam in iudicio consequar. Quoniã
" iniquitatem annunciabo & cogitabo pro peccato meo.
Sicut enim maledictioni subiacuit, ut nos à maledi-
cto legis erueret: ita & peccatorẽ se profitetur, quo pec
cata nostra portarèt, & pro cogitatu ac consilio nos ab
eis eriperet. Et cogitabo pro peccato meo. Peccatũ Chri-
sti, humani delicta sunt generis, propter quæ & patri
" r.ũ: dicitur esse subiectus. Inimici autẽ mei uiuũt &
" confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui ode-
" runt me iniquè. Certè iniquè & non rationabiliter
faciunt, qui ex hac litera semen suum ut astra cæli mul-
" tiplicari credebant. Qui retribuunt mala pro bonis

,, detrahebãt mihi quoniã sequebar bonitatẽ. Nã me dulcedinẽ æternæ uitæ afferentẽ aceto ac felle potabãt, & detrahebãt mihi dicentes, Alios saluos fecit, seipsum saluũ facere nõ potest. detrahebãt autem mihi, quoniã subsecutus sum iustitiã, ut implens uoluntatẽ patris pro
,, uita populi susciperem mortem. Ne derelinquas me
,, Domine Deus meus, ne discesseris à me: intende in adiu-
,, torium meum Domine Deus salutis meæ. Manifestum est Domine Iesu, quia pater suscitans te à mortuis die tertia, collocauit ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum & potestatem, dans tibi nomen quod est super omne nomen. Ergo quia graues sunt pugnæ carnis, tu Domine intende in adiutoriũ nostrum & esto nobis salus in tempore tribulationis.

Titulus Psalmi.

In finem Psalmus Dauid, quum uenit ad eum Nathã propheta, dũ intrauit ad Bethsabee.

Notissima est peccati Dauid grauitas ex Regum historia: nota etiam humilima pro peccato deprecatio, quæ hoc Psalmo continetur. Est autem Psalmus iste in ordine Psalmorum quinquagesimus: quia quinquagesimus numerus in iubileo anno usque ad ueram sancti Spiritus super apostolos missionem consecratus est: sine cuius gratia remissionem accipere nemo poterit. Habemus autem exempla in sancta scriptura de peccatis sanctorum & de pœnitentia eorum, & de remissione peccatorũ illis à Deo data. Nemo igitur dubitet de Dei misericordia, quãuis maximis inuolutus scele-

ribus: nemo peccatum confiteri erubescat, quum David propheta multarum Rex gentium promissionibus de Christo gloriosus, peccatum suum non erubuit publicè confiteri, & ad Domini pœnitendo confugere clementiam. Petrus trinam negationem amarissimis abluit lachrymis: Publicanus pœnitendo iustificatus recessit à têplo: Peccatrix fœmina sanctos Domini pedes lachrymis abluit, & pœnitendo audire meruit, quia multum dilexit, multa illi dimittuntur peccata. Talibus roboratus exemplis nemo de Dei misericordia desperet: nemo sua quamuis sint ingentia, erubescat confiteri scelera: nemo tardus sit lachrymis iniquitatem suam abluere: & quia omnes peccatores sumus, unusquisque nostrum dicat cum propheta:

Psalmus L.

" Iserere mei Deus secundum magnam mise-
" m ricordiam tuam. Miserere, quia miser sum: miserere, quia magna est misericordia tua. Nullus nostrum cum Adam ad noxias confugiat excusationes: sed apertè proferat, quod iniquè se gessisse agnoscat. Refugium faciat ad clementissimum iudicem, præueniat faciem eius in confessione: ne experiatur in futuro iudicio iratum, si modo contempserit eum misericordem. Misericordiæ tempus est omni homini, modo pœnitenti: in futuro uero iudicio, tempus erit iustitiæ, ubi unicuique reddetur secundum opera sua. Quis effari poterit, quanta sit misericordia in homines, quæ mundi creatorem mortali induit carne, ut semper ui-

uem in suo, pro nostris peccatis mori posset ex nostro.
" Secundum multitudinem miserationum tuarum de-
" le iniquitatem meam. O Domine quamuis magna sit iniquitas mea, tamen maior est multitudo miserationis tuæ: in qua, ut deleas, deprecor, iniquitates meas, quas cõtra me scriptas horresco: ut te miserante merear scribi in libro uitæ tuæ: quia nemo ibi scribitur, nisi cuius hic
" omnes iniquitates delẽtur. Amplius laua me ab in-
" iustitia mea, & à delicto meo munda me. Munere misericordiæ tuæ laua me Domine ab iniustitiæ meæ maculis: nec solum laua, sed etiam munda: ne quid sordidum remaneat in uita mea. Sordidare me potui, sed emundare nequeo, nisi tu Domine Iesu sancti sanguinis
" tui aspersione mundum me facias. Quoniam iniqui-
" tatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me
" est semper. Nostrum est peccata nostra cognoscere humiliter & confiteri. Dei præcipuum est non imputare nobis, sed misericorditer ignoscere. Plurimi scire sua peccata possunt: sed soli illi bene ea agnoscere probantur, qui illa uidentur propria execratione damnare. Perfecta enim pœnitentia est, futura cauere peccata & lugere præterita. Addit autem Dauid, & delictum meũ contra me est semper. Delictum nostrum contra nos ponimus uel corã nobis semper habemus, quãdo in memoria illud iugiter tenemus ad supplicandum pro eo, donec uincatur à nobis, mortique detur sempiternæ: ne iterũ nos debellare ualeat, sicut pridem fecit. Nam toties peccata respicimus, quoties commissa deplo-
" ramus. Tibi soli peccaui & malum coram te feci. Ideo uero peccasse confitetur, quia Rex potens alium

non metuit ultorem peccati sui. Et ut maius iniquitatis scelus ostenderet, adiunxit malum coram te feci: dum enim ubique te praesentem sciebam, in praesentia tanti iudicis non metuebam peccare: in quo dementiam suam arguit, qui non expauit tanto iudice praesente peccare.
„ Sequitur: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas
„ quum iudicaris. Sermones Domini merito iustificari dicuntur, quoniam sine dubio semper eius dicta complentur: in cuius conspectu non iustificabitur omnis uiuens. Idcirco omni homini dicendum est: Non intres in iudicium cum seruo tuo. Dominus bellator noster atrocissimum hostem humani generis iudicatus uicit, & mūdum dānatus absoluit. Praeuidens ergo in spiritu propheta non nisi in sanguine Christi peccata redimi posse, laudat iustitiam eius, qua diabolum damnauit: & misericordiam, qua mundum redemit. Proinde non solum praesens sui ipsius peccatum, sed parentum suorū in quibus ipse conceptus est & natus, confitetur dicens:
" Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis
" concepit me mater mea. Quis me potest ex immundo semine conceptum mundum facere, nisi tu Deus solus, qui sine peccato es? Quid mirum est autem si fecerim in quibus me peccatorem confiteor, qui iam ex originali peccato in iniquitatibus scio me esse conceptum? qui antè peccata cōtraxi, quàm uitae principia haberem? O Domine Iesu quibus misericordiam tuam laudibus efferimus, quas tibi gratiarum actiones dignas exoluere possumus, qui nos de huius Chirographi debito in sanguine tuo liberasti, delens in cruce nostras peccatorum cautiones, quae contra nos à primis parētibus conscriptae sunt.

„ nostris! Ecce enim ueritatem dilexisti, incerta & occul-
„ ta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Sicut superiori uersu per commune delictum probauit, quòd nemo peccatis redderetur exemptus, sic iterum in confitendo peccata ueritatem dixit, quam plus dominus Deus ac super omnia sacrificia requirit. Non enim Deus delectatur pœnis nostris, sed confeßionem quærit erroris. Incerta ergo & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, nimirum ea quæ Deus in filij sui manifestatione reuelauit. Primum ut agnoscerem habere eum filium, deinde ut ipsum nossem ex meo semine in carnis assumptione uenturum, eumque prædicarem, & resurrectionis glo
„ riam numciarẽ. Sequitur: Asperges me Domine hysso
„ po, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealba
„ bor. Sicut enim hyssopus terrena curandis pulmonibus apta est, ut auertat inflationem: ita cælesti quis respersus hyssopo, id est humilitate cordis, ab omni superbiæ malignitate purgatur. Lauabis ergo me, & super niuẽ dealbabor: quumque peccata mea phœniceo sint similia, quasi nix dealbabuntur. Super niuem autem album de corporibus nihil potest inueniri. Sed ideo super niuem dixit, quia spiritalis anima longè supra corpora mũdata resplendet: Humilitas Christi soluit peccata nostra, humillimæ herbæ hyssopo bene cõparata: quæ sicut & hæc à corporibus, ab animis nostris infla
„ tionem tollit superbiæ. Auditui meo dabis gaudium
„ & lætitiam, & exultabũt ossa humiliata. Auditui datum est gaudium, quando dixit ei Nathan, dimissum est peccatum tuum. Gaudium pertinet ad absolutionem, lætitia ad perpetua præmia poßidẽda. Et exultabunt

Inquit, ossa humiliata, uirtutes, quæ prius fuerant pecca-to humiliatæ: uel æternitatis spes quæ me peccante humiliata fuerat, te indulgente exultat. Auerte faciem *tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

Ne mea peccata sic accipias ut reuertantur ad memoriam tuam. Auerte faciem tuam: ac si dicat, ne uideas, ne recorderis illa. Et omnes iniquitates meas dele, præteritas, præsentes & futuras. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis.

Petit ꝓpheta mūdū cor sibi creari, id est restaurari: ita & unusquisque debet facere. Et spiritum rectum innoua in uisceribus meis, quo recte confitear: uel spiritum rectum ad uidendum & discernendum: sicut antea rectus fuit in me. Innoua, quia uetus factus est pro peccato. innouari postulat per gratiam, & addit in uisceribus meis: unde nouerat adulterij detestabile crimen exiisse. Vtrisque enim partibus remedium petebat: quoniam de utroque peccauerat. Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Ne proiicias me, ne sicut Caim, exul à te efficiar. Proiicitur à facie qui à patre contemnitur. Sciebat enim ab illius facie sanitatem mentis, & lumen uenire sapientiæ, & credebat se inimico tradi, si à uultu domini iudicaretur expelli. Deinde uerò spiritum prophetiæ petit sibi non auferri, quem preciosum supra cuncta rex habuit. Redde mihi lætitiam salutaris tui, illam scilicet Christi tui exultationem, quam in eo habui priusquam peccauerim. Salutare Dei patris Christus est: ac si dicat, Sicut ante præuidebam per spiritum sanctum eum in carne uenisse, & modo sic faciam. Et

,, spiritu principali cõfirma me. Vt ipsa in me uiciã non principetur. Cõfirma me domine, ne iterum peccem, ne à te animæ mutabilitate discedã. Hic sancta trinitas intelligenda est: in spiritu principali, pater, & spiritus sanctus, in spiritu recto, filius. Docebo iniquos uias tuas, ,, & impij ad te conuertentur. Docebo inquam illos ut declinantes à uiis prauis & pœnitentiam agentes misericordiam consequantur, sicut ego à te misericordiã consequutus sum: hoc est proponam me ipsum ut meũ exẽplũ alij imitentur. Libera me de sanguinibus Deus ,, Deus salutis meæ, & exaltabit lingua mea iustitiã tuã.

Liberari se petit propheta de sanguinibus, id est, carnalibus delictis, ut iam desineret in ista fragilitate peccare. Sãguis enim pro corpore humano ponitur, quia inter cæteros humores eius ipse potior uidetur existere. Quod uerò ait Deus salutis meæ, significat dominũ saluatorẽ per quẽ salus pie credẽtibus datur. Addidit etiã exaltabit lingua mea iustitiã tuã, id est, si me liberaueris de sanguinibus, quod intelligitur de peccatis, laudẽ tuam lingua mea iuste loquetur, uel prædicabit lingua mea mãdata tua. Domine labia mea aperies, & os meũ annũ,, ciabit laudẽ tuã. Labia prophetæ quæ clausa fuerãt cõditione peccati, beneficio absolutionis aperiẽda pronũciãtur. Os autẽ dicitur & cordis archanũ unde efficitur laus diuina. Merito ergo post absolutionẽ peccati & labia sua aperiẽda esse pronunciat, & os suũ dicit domini adnũciare posse præconia, & laudem eius qua re,, creatus est. Quoniã si uoluisses sacrificiũ dedissem, uti,, que holocaustis nõ delectaberis. Significat hic propheta ritus sacrorũ per immolationes pecudũ, qui erant in-

aduētu domini respuēdi: Vnde cōstat propheta sic ad Deū tota mēte trāslatū sut nō se sacrificiis quæ illo tēpore gerebātur crederet expiādū, sed illa magis oblatione qua dicit cōsequēter: Sacrificiū Deo spiritus cōtritus. cor cōtritum & humiliatū deus nō despicies. Quasi dicat, O homo si peccaueris, noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere: habes intus quod occidas. Postquam enim dixit quæ sacrificia Deus respuit, nunc dicit illa quæ poscit. Istud enim damus sacrificium deo, spiritum scilicet superbiæ confessionis humilitate mactatum: unde non sanguis egreditur, sed lachrymarum flueta decurrunt. Cor autem contritum uocat pœnitentiæ laboribus uehementer afflictum, humiliatum Deo scilicet, ut quod ante fuerat elatione superbum, foret pia confessione deuotum. Constat enim tales oblationes Deū non spernere, sicut illa cognoscitur priora sacrificia respuisse.

Benignè fac domine in bona uoluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem. Sion specula interpretatur, significatq; ecclesiā quā sanctus propheta toto orbe terrarum ædificari postulat. Hierusalem uisio pacis interpretatur. ædificentur ergo muri Hierusalē. i. monumēta construantur immortalitatis nostræ in fide spe & charitate. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponēt super altare tuū uitulos. Patri dicitur, tūc acceptabis sacrificiū iustitiæ, id est, filij gloriosissimā passionē, qui se sacrificiū pro omnibus obtulit, ut salutem, quam mūdus suis operibus non merebatur, acciperēt. Quod uerò ait, oblationes & holocausta, ad fideles etiā ptinet christianos, qui erant post aduentū domini credituri, significatq; immolāda corda

hominum uiuentium, non membra pecudum mortuorum. Tunc imponent super altare tuum uitulos, sacerdotes scilicet, quando ecclesia catholica fuerit domini passione constructa. Vitulos quippe posuit pro innocentibus adultis, quorũ ætas prima est, & à iugo peccati ceruix probatur aliena. Aut illos prædicatores Euãgeliũ promittit, quorum imaginem in uituli figura Lucas suscepit. nisi fortè magis illos uitulos debemus intelligere qui animas suas in hostiam suauitatis sacris altaribus obtulerunt. Nos quoque famuli tui domine Iesu supplices deprecamur ut pietatis consillo magnis facinoribus nostris immensam misericordiam largiaris, nósque per cordis contritionem humiliatos in mactando uitia, iugulando delicta, dignum & acceptabile præpares holocaustum, Amen.

Psalmi titulus.

Oratio pauperis quum afflixerit, & coram domino effuderit precem suam. Vox est affligentis & gementis pauperis in hoc psalmo, & miserias suas piissimo iudici cum magna humilitate offerentis, sicut in titulo psalmi perscribitur, quo ab oratione quæ ad Deum dirigitur, incipit pauper iste ita dicens:

Psalmus CI.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te ueniat. Hæc enim uox est pœnitentis, Deíque clementiam pro peccatis suis deprecantis, ac primo omnium ut exaudiatur postulantis: quod magnæ spei est in orationibus credere se posse à Deo exaudiri. Ideo omnis penitus humiliet seipsum & humiliato contritóque corde clamet ad dominum:

quia ſicut in alio dicitur pſalmo: Cor contritum Deus non ſpernit. Oratio eſt ſuauis animi cum compunctione cordis confeßio. Primo autem poſuit orationem, nunc adiecit clamorem, ut ſtudia ſupplicationis creuiſſe cognoſceres, cuius orationem in clamorem maximũ prorupiſſe intelligeres. Hunc uerò modum ſanctæ orationis ſeruandum deuotißimus chriſtianus intelligat, ut ipſum cogitatione proſequatur: & quum uerba effundit, ipſum reſpiciat mente cui ſupplicat, omnes ſuperfluas cogitationes excludat, quæ ab inimico ingerũtur, ut efficax oratio ex cordis claritate perueniat ad Deũ ſicut apoſtolus ait: Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallã ſpiritu, pſallã & mẽte. Tũc enim à Deo accepta eſt oratio canentis, ſi pura mens idẽ gerit quod explicat ore.

„ Ne auertas faciem tuam à me in quacunque die tri-
„ bulor: facies domini pro miſericordia Dei dicitur, quam iſte pauper gemens & pœnitens à ſe non auerti deprecatur.
„ In quacunque die tribulor: quælibet ſe tentatio apprehendat, poſtulat auxilium in omni angustia diuinum. Ideo ſubſequenter ait:
„ Inclina ad me aurem tuam, id eſt benignum præbe auditum:
„ In quacunque die inuocauero te, id eſt in die tribulationis meæ. Dies tribulationis & tentationis hæc uita eſt, in qua uelociter ſe iſte pœnitens exaudiri deprecatur, ne morte præueniẽte indignus ſit exaudiri. Quia in hac uita tempus eſt miſericordiæ, in futura uero iudicij: dũ
„ reddet Deus unicuique ſecundum opera ſua. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. Sicut fumus ueniente uento in auras diſpergitur, ita ſuperbia huius uitæ morte præueniente euaneſcit. Qui hodie extollitur, cras non

erit: quod iste poenitens agnoscens, miseriarum suarum
,, dies plangit fumo esse similes. Percussus sum ut foenum & aruit cor meum, Venit iste poenitẽs ad flebilẽ narrationem miseriarum humanae fragilitatis (quae ut foenum cito decidit ubi aliquo casu arefacta fuerit) ut festinanter diuinae remedium misericordiae acciperet, dũ miseriam suam pio medico non taceret. Qui in mãdatis domini proficit, foeno florẽti ac uiridi aequabi
,, tur. Peccator uerò arescẽti foeno comparabitur. Quia
,, oblitus sum comedere panem meum. Panis enim nobis uitae est praeceptorum domini obseruatio, quam peccator obliuiscitur edere dum iniquitatibus uel peccatis se suis obligauerit. Hic enim exprimitur natura peccãtiũ, quia dũ delictum appetitur, cõtemplatio domini
,, non habetur. A uoce gemitus mei adhaeserunt ossa
,, mea carni meae. Dignũ est gemere eũ q perdit iustitiã ut lucrũ acquirat uel peccato cuilibet se subiiciat. adhaeserũt inqt ossa mea carni meae. i. fortitudo mea carnalibus desideriis quae militãt aduersus animã, in qua fortitudo debet esse regendi & cõprimendi illicitos carnis
,, motus. Similis factus sum pellicano in solitudine, si-
,, cut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus sum
,, sicut passer solitarius in tecto. Tria genera auiũ posuit, & tria loca habitationi illarũ: p quae diuersa nobis poenitẽtiũ genera demõstrãtur. Pellicanus est auis Aegyptiaca naturali macie semp affecta, solitudinib[9] se delectãs sicut in crebris ieiuniis poenitẽtes esse conuenit. Per hoc ergo auiũ genus pulcherrimè significãtur Eremitae, qui hominũ consortio derelicto se multa afflictione discruciãt. Nycticorax latino uocabulo noctis coruus dici po-

test, amans tenebras non lucem, quem sibi escas noctibus quærere cõstat: ita pœnitẽs debet nocturno tẽpore escas animæ solicita curiositate pquirere, licet cõmuni cõuersa
,, *tione in domicilio multorũ habitare uideatur.* Vigla-
,, *ui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Passer *auis est acutissima, quæ in tectis habitare solet humana gaudẽs uicinitate: huic merito cõparatur, qui diabolicæ calliditatis fraudes fugiẽs, uigiliis & orationibus, & pœnitẽtiæ lachrymis intra sanctæ ecclesiæ septa se mu-*
,, *nire festinat.* Tota die exprobrabãt mihi inimici mei,
,, *& qui laudabãt me, aduersum me iurabãt.* Ore lau*dabãt & corde insidias præparabãt. laudabãt ut deci perẽt, prædicabãt ut subuerterẽt. & hoc à diabolo, q si publicis peccatis seruũ* Christi *subuertere nõ poterit, op probriis & reprehẽsionibus circũhabitãtiũ à uia ueritatis eũ deterrere nititur.* Sũt *plurimi bona facere erubescẽtes, ne dissimiles sint multitudini mala facientium.* Hoc *quoque peccatum pœnitens iste commisisse se fa-*
,, *tetur.* Quia *cinerem tanquã panem manducabam,*
,, *& potum meum cum fletu miscebam.* Pœnitentis *huiusq; seculi delicias despicientis conuiuia lugens iste exprimit: quia per huiusmodi conuiuium peruenire se sperant ad mensam domini.* Quapropter *ô peccator noli desperare de indulgentia peccatorum.* In *quacunque die fuerit conuersus peccator, uita uiuet & non morietur.* Sed *noli tardare conuerti ad dominum.* Indulgentia *tibi conuertenti à peccatis certa est, sed crastinus dies tibi incertus est.* Hodie *conuertere, ne forte cras moriaris.* Si *male uixisti heri, bene uiue iam hodie, memor illius de quo ueritas ait:* Stulte

hac nocte morieris, corrige te ut in corpore Christi hāc uocem habere ualeas: Quoniam cinerem tanquam panem manducabam &c. A facie irae indignationis tuae, quia eleuans allisisti me. Exponit isthic gemendo, qur se tanta afflictione in poenitentia fatiget: quia scilicet cum ira & indignatione dei nascimur, quae peccatis superuenientibus grauior efficitur, ideo addit: Quia eleuans allisisti me. Eleuatus est homo honore imaginis Dei & libero arbitrio nobilitatus: sed hoc male usus, allisus est, & deiectus in hāc conuallem lachrymarum. Dies mei sicut umbra declinauerunt: & ego sicut foenum arui. Quia homo à Deo declinauit, declinauit ab eo dies foelicitatis eius: Qui fuit lux in domino, umbra factus est in peccato, & flos uitae illius sicut foenum aruit: nec unquā reuiresceret, nisi sanguine Christi irrigaretur. Tu autem domine in aeternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem. Qui se usque ad cinerem poenitendo deiecit pro peccatis suis, Deum laudando in beneficiis suis se erexit dicens, me arescente tu permanes in aeternum: quapropter optime ab aduentu domini salutis suae & laudis diuinae fecit initium, per quem mundum nouerat esse saluandum. Memoriale autem hic dictum est, salutare promissum de domini incarnatione uenturi, quod nulla obliuione delebitur. Tu autem domine exurgens misereberis Sion quia tempus miserendi eius, quia uenit tempus. quasi diceret: Quid tardas de salute Siō? Sion uerò mons est, ubi templum domini est: misereberis ergo eius, quia uenit tempus miserendi eius. Hoc est tēpus de quo apostolus ait, postquā uenit plenitudo tē-

poris, misit Deus filium suum. Sciendum est uerò quòd pœnitens iste non sui solius tantum causam agit, uerum etiam totius humani generis optat salutem. quæ nisi ad-
„ ueniente filio Dei fieri non potuit. Quoniam pla-
„ cuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebū
„ tur. Videndum est quàm propriè uerba rebus apten tur. Lapides dixit beneplacitos, qui sunt apostoli & martyres præcipuiq; ueritatis prædicatores. In Sion, id est in ecclesia. Terra autem peccatores significat, quibus in sanguine salutaris nostri misertus est Deus. Lapides domino miserante dicuntur, qui solidi sunt in ædificatione domini & firmitate sua securi. Terra autē per misericordiam munda erit, ut digna sit in ædifica-
„ tione domini poni. Et timebunt omnes gentes nomen
„ tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.
Quos superiore uersu terram nominauit, eosdem hic gentes appellat terrenis actibus inuigilantes. reges sunt, quicunque se ipsos bene regunt, aliisq; præesse bonis exemplis uel uerbis prædicationis norunt: qui magnum nomen Christi Dei seruis suis (quos superius lapides appellauit) prædicantibus, gloriam eius timent.
„ Quoniam ædificauit dominus Sion, & uidebitur
„ in gloria sua. Ideo timebunt dominum omnes gentes, & reges spiritales gloriam eius formidabunt, quia ædificata est à domino Sion, mater scilicet ecclesia, de uiuis lapidibus constructa, in qua domini salus sine fine permanet. Qui uerò nunc uisus est in humilitate, ipse uidebitur cōfirmata & constructa ciuitate sua in gloria sua, cum uenerit in maiestate patris & sanctorum an
„ gelorum discernere inter agnos & hœdos. Respe-

,, xit in orationem pauperũ. & non spreuit precem eo-
,, rum. Veniente saluatore nostro in mundum, tunc ex-
audita sunt preces huius pauperis quae saepius recitatae
sunt in conspectu diuinae pietatis. Iste pauper unus
est & multi sunt, unus in charitate, multi in latitudine
totius orbis, quibus est una fides, unum baptisma, u-
,, nus Deus. Scribantur haec in generatione altera,
,, & populus qui creabitur laudabit dominum. Scri-
pta sunt haec prophetarum dicta, quae modo legun-
tur in generatione altera. Illa fuit prima generatio in
qua haec scriptura edita est, quam nunc legit in ista ge-
neratione sequenti populus qui creabitur à domino de
multitudine gentium, laudans in ueritate lucis non in fi-
,, guris umbrarum. Quoniam prospexit de excelso
,, sancto suo, dominus de caelo in terram aspexit. De
caelo dominus per unicum filium suum prospexit in ter
ram miseriae nostrae. Vt audiret (sicut sequens uersus o-
stendit) gemitus compeditorum, humani scilicet generis
quod diaboli uinculis in primo parente ligatum est, mor
tique perpetuae perditionis addictum. Hoc de caelo pro
spiciens dominus, uenit soluere uinctos, & uiuificare
,, interemptos. Vt annuncietur in Sion nomen domini,
,, & laus eius in Hierusalem. Quia de Sion ut ait
propheta exibit lex, & uerbũ domini de Hierusalem.
Ibi quippe primum praedicatum est per apostolos no-
men domini: sic legitur in actibus apostolorum, multitu-
dinem credentium ibi esse, & ipsum dominum praece-
pisse in Euangelio constat, praedicare apostolos poenitẽ-
tiam & remissionem omniũ peccatorum in omnes gen
tes, incipientes primo ab Hierusalem. De quibus paulo

post ait Euangelista: Et erant semper in templo laudan
,, tes & benedicentes dominum. In conueniendo po
,, pulos in unum & regna ut seruiant domino. Ad
hoc enim gemitus pauperum exauditus est, scilicet ut conueniens populus in unũ, laudes domini personaret. In eo quòd ait populos in unum, uirtus catholicæ unitatis signatur, quia omnes unum sumus in Christo. Veluti ipse dominus patri pro suis supplicans ait ut sint unũ in nobis. Et regna ut seruiant domino. Ista seruitus domini uera libertas est hominis, per quod seruitium Dei in tãtam gloriã exaltata est Ecclesia: ut etiã regna ser-
,, uiant illi, quæ etiã ante persequebantur eã. Respon-
,, dit ei in uia uirtutis suæ. Quis? cui respondit? Populus christianus Deo suo, Ecclesia Christo capiti suo. Quid respõdit? ut faciat quæ iubet qui se redemit. Vbi respõdit? in uia scilicet uirtutis suæ. Quæ est uia uirtutis suæ, nisi Christus? qui ait, ego sum uia, & ueritas, & uita, sine quo nihil possumus in bonis operibus respõdisse præ
,, ceptis domini. Paucitatem dierum meorum nuncia
,, mihi. Vox Ecclesiæ de fine mundi per apostolos dominũ deprecantis, qui dixerũt: Dic nobis quãdo hæc erũt & quod signum aduentus tui & consummationis seculi? qui respondit: Primum prædicabitur hoc Euangelium in toto mundo & cætera quæ ibi leguntur de signis consummationis seculi. Quod tempus paucitatem nominat dierum iste pœnitens, qui ab initio mũdi usque in finem totum tempus in comparationem æternitatis, quasi unũ & paruissimũ computat momentũ. Optat iste pœnitens peruenire ad æternæ beatitudinis fœlicitatẽ, sicut Euãgelicus semp seruus iubetur esse paratus.

„ Ne reuoces me in dimidio dierũ meorũ, in seculũ secu
„ li anni tui. AEternitatem iste pauper desiderãs, nõ uult
reuocari ad medios uitæ suæ dies .i. ad iuuẽtutis annos, in quibus maximè feruore carnis peccare solent homines. Ad hos dies nõ cupit regredi, ut ad æternos domini annos qui mutabiles non sunt, puenire mereatur, ubi uarietas temporum non erit, sed stabilis quædam sempérque eadẽ uita permanet mutationi nõ obnoxia. Seculum est, regeneratio huius generationis quæ in Euangelio designatur, ubi dominus ait in regeneratione,
„ cum sederit filius in sede maiestatis suæ. In initio tu
„ domine terram fundasti, & opera manuum tuarum
„ sunt cæli. Hoc est quod in capite sanctarum scripturarum legitur, in principio creauit Deus cælum & terram, hoc ideo ait iste laudator domini, ut intelligeretur nos eundem habere redemptorem. Qui uerò initio cælum & terram creauit, sine initio esse manifestum est. Opera manuum tuarum sunt cæli, id est uirtute Dei
„ & sapientia facta sunt omnia. Ipsi peribunt, id est cælum & terra, sic in Euangelio legitur, uerba autem
„ mea non transibunt. Tu autem permanes & omnes
„ sicut uestimentum ueterascent. Solum dominum immutabilem esse declarat, dum omnia sicut uestimenta ueterascent. Carnis uero humanæ fragilitatem hic uidetur ostendere. Ipsum enim ueterascit quod more
„ uestis consumitur. Sicut opertorium mutabis eos &
„ mutabuntur. Fortassis cælum intelligitur coopertoriũ terræ esse, quod in melius mutandum esse alia scriptura designat ubi dicitur, & erit cælum nouum & ter-
„ ra noua. Tu autem idem ipse es, & anni tui non

deficient. Omnia esse mutabilia praeter solum creatorem designat: qui semper idem est quod est, & anni aeternitatis illius nunquam deficient. Non quod in Deo anni intelligendi sint ut unus ueniat & alter transeat, sed aeternitas illius, quae semper eadem est, annorum nomine designatur. Filii seruorum tuorum inhabitabunt ibi, id est habitabunt annos aeternitatis sanctorum filii patrum, prophetarum scilicet & apostolorum uel doctorum Ecclesiae. Nec aestimandum est ibi non esse patres ubi filii futuri sunt: quod si filii ibi, quanto magis & patres! si discipulus bonus, & magister melior discipulo. Et semen eorum in seculum seculi dirigetur. Quorum semen, nisi doctorum suorum qui in aeterna dirigentur beatitudine! qui rectam hic tenuerũt uiam, beatitudinis praemia ibi possidebunt. Ideo non tardet quisque peccator poenitentiam agere, quatenus ad huius praemij gloriam peruenire mereatur. Recordetur iugiter primam dominicae praedicationis uocem qua dictum est, poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum, Amen.

Psalmi titulus.

Psalmus iste inter canticos graduum undecimus est, qui numerus quandam diminutionem perfectionis demonstrat, sed sextus est in ordine poenitentiae. Quem numerum, id est sex, suis partibus constat esse perfectũ. In quo ipse creator condidit omnia, ut ostenderet omnia esse perfecta quae creauit. Iste uero poenitens per poenitentiae lachrymas ad perfectionem indulgentiae peruenire nititur, dicens:

Psalmus CXXIX.

" E profundis clamaui ad te domine. De pro-
d fundis, id est nimietate peccatorum de quibus
non est alia salus illi nisi ad dominum clama-
re, & in eius sperare clementiam. Ideo postulat suum
exaudiri clamorem quem de profundo peccatorũ eru-
" ctauit dicens: Domine exaudi uocem meam. Ipsi
enim sunt altissimo uiciniores qui de sanctæ humilitatis
uisceribus eruperũt se confitentes esse peccatores, & de
" profundo clamasse iniquitatis dicentes: Fiant aures
" tuæ intendentes in orationem serui tui. Quis est qui
clamat? peccator scilicet. Vnde clamat? etiã de ꝓfundo.
Quo iam profundo, nisi peccatorũ? qua spe clamat? qui
uenit soluere peccata dedit spẽ etiam in profundo po-
sito peccatori clamandi ueniamque sperandi. Quid ue-
" ro iste clamat peccator, audiamus. Si iniquitatẽ ob-
" seruaueris domine, domine quis sustinebit? Ecce appa-
ruit de quo profundo clamaret. Clamat sub fluctibus
quasi in profundo demersus iniquitatum suarum, accu-
sans seipsum in cogitationibus, uerbis, & factis: intelli-
gens totam uitam humanam tentationibus subiacere.
" Sequitur in qua spe clamaret dicens: Quia apud te
" propiciatio est. Quæ est ista propiciatio, nisi sanguis
Christi, sanguis innocens qui effusus est in propiciatio-
nem peccatorum nostrorum? Ergo domine apud te est
propiciatio quæ me excitat ad te clamare. Quia si iu-
dex tantum & non propiciator fieri uoluisses, obser-
" uares iniquitates nostras, & nemo sustineret. Et pro
" pter legem tuam sustinui te domine. Expectaui te domi
ne qui mihi in lege promissus fuisti. Quæ me lex reum fe

cit, & compulit me ad te clamare qui es legislator, &
" redemptor sub lege factus filius hominis. Sustinuit a-
" nima mea uerbum tuum. Quod uerbum? quod erat in
principio apud Deum. Hoc uerbum expectaui, ut ca-
ro fieret, & liberaret animã meã, in quo suscepimus
remissionẽ peccatorum & promissionem regni cælorũ.
In quo uerbo sperauerunt prophetæ: quod uerbum a-
postoli tractauerunt & uiderunt. In quo uerbo beati
sunt etiam credentes quamuis ipsum carnaliter non
uidissent. In hoc uerbum omnes animæ sanctorum spe
" rant. A custodia matutina usque ad noctem speret
" Israel in domino. Custodia matutina est manifestata
resurrectio domini saluatoris, quoniam sepulchrum cu
stodientibus Iudæis, resumpti corporis ueritate sur-
rexit. Vsque ad noctem, id est usque ad terminum hu-
ius seculi in hac spe nobis uiuendum est, ut modo re-
surgamus in anima, & in nouissimo die resurgamus in
corpore. Qui uero à morte animæ modo resurgit per
uerbum filij Dei, tunc fœliciter resurget in carne per uer
bum Dei filiũ hominis. In hac enim promissione speret
Israel in domino. spe enim salui facti sumus. Quod nũc
spei dulcedine habemus, tũc rei ueritate tenebimus. No-
li tu Israel, id est uir uidens Deũ, dubitare de hac pro-
" missionis fœlicitate. Quia apud dominum misericor
" dia & copiosa apud eum redemptio. Quamuis pecca
tor peccatorũ mole prematur, adest misericordia Dei in
Christo qui sine peccato uenit ut peccata solueret.
Apud quem copiosa est redemptio, quia ubi abun-
" dauit peccatum, superabundauit gratia. Ipse
" est qui redemit Israel ab omnibus iniquitatibus suis.

Ideo tu peccator noli cessare: clama de profundo; expelle à te omnem desperationem. Dic dic, Si iniquitatem obseruaueris domine, domine quis sustinebit? obserua illũ, expecta illũ, propter legẽ ipsius, quã legẽ tibi dedit in oratione qua deprecaris ꝑ peccatis tuis dicẽs: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Spera te resurrecturum, & te futurum omni modo sine peccato, quoniam ille surrexit qui primus fuit sine peccato. Noli dicere, non sum dignus misericordia illius propter peccata: cogita apud eũ multam esse redemptionem, qui seipsum tradidit ut te redimeret. Liberatus per pœnitentiam, noli iterum ligari per peccatum. Serui domino quasi filius, non quasi seruus: quia omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo, filius autem manet apud patrem suum in æterna beatitudine, Amen.

Titulus. Psalmus ipsi Dauid, quando eum filius suus persequebatur.

In libris Regum hanc historiam legimus quomodo Absalõ patrem suũ Dauid expulit de regno. Sed alius est Dauid uerè manu fortis: in bello fortis, qui percussit hostem superbissimum dominus noster Iesus Christus. agnoscendus est itaque Dauid iste quẽ persequebatur filius suus Iudas tradens eum in mortem, habebat enim filios de quibus dicebat: Non possunt filij sponsi lugere quandiu sponsus est cum eis: ueniet autem dies quando sponsus auferetur ab eis, tunc lugebunt. Lugendum est animis peccantium, si sponsus auferatur ab eis.

Propter peccata: & primo omnium poſcendum ut ex-
audiatur oratio eorum: deinde ne inducantur in iudi-
cium, poſtremo ut eripiantur ab inimicis ſuis quorum
poteſtati à ſemetipſis traditi ſunt propter peccata ſua.

Pſalmus CXLII.

" Omine exaudi orationem meã, auribus perci-
" pe obſecrationem meã. Hoc eſt exaudi, quod
& percipe auribus. Repetitio, magna eſt de-
precantis intentio: humilitas lachrymarum, abſolutio eſt
" peccatorũ. In ueritate tua exaudi me in tua iuſtitia.
Cõmendatio gratiæ eſt, ne unuſquiſque noſtrũ iuſti-
tiã ſuã eſſe putet qua liberatur, ſed iuſtitia dei eſt, quam
ut habeat Deus dedit. In tua enim dicimus iuſtitia ex-
audi me. Ad me enim unum cum reſpicio, nihil aliud in
me niſi peccatũ inuenio. Tota liberatio mea tua eſt iuſti-
" tia. Vnde ſequitur: Et non intres in iudiciũ cũ ſeruo
" tuo. Noli ergo mecum intrare in iudiciũ domine, quã-
tumlibet mihi rectus uidear. Producis tu de theſauris
tuis regulã æquitatis, iudicas me ſecundũ meã iuſtitiam,
" & prauus inuenior. Quare? Quia non iuſtificabitur
" in conſpectu tuo omnis uiuens. Omne genus huma-
nũ, ſignificat originali peccato obnoxium. Ideo nullus ni
ſi gratia liberatus tua iuſtificari poterit. Quòd ſi nullus
iuſtificabitur, de radice uitiata natus, quantomagis ego
" peccatorum meorum pondere oppreſſus? Quia per-
" ſecutus eſt inimicus animam meam. Iudas animam
Chriſti, diabolus animam meam, peccatorum perſua-
" ſione perſecutus eſt, atque humiliauit in terra uitam
meam. Dum terrenis contagiis aſperſit animam meã,
" & uitiorum puluere ſordidauit eã. Collocauit me

,, in obscuris sicut mortuos seculi, qui in peccatis suis mo-
riuntur, retributionem recipientes iniquitatis suae, ideo:
,, Et anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum
,, est cor meum. Anxiatus est per poenitentiam spiri-
tus meus, & totum cor meum pro scelerum enormitate
meorum conturbatum est, timens ne cum seculi mor-
,, tuis damnet me iudex iustus. Memor fui dierum
,, antiquorum. Dies antiqui sunt, in quibus secun-
dum ueterem hominem uiuebam in peccatis, quo-
,, rum memoria me torquet. Meditatus sum in omni-
,, bus operibus tuis, in factis manuum tuarum medita-
,, bar. Vidi, inspexi omnia opera tua, quia nihil bo-
ni in nobis esse potest, nisi tua operante gratia fiat, qui
nos fecisti. Haec intentius considerans quid feci scilicet:
,, Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra si-
,, ne aqua tibi. Expandi manus meas in orationibus: &
in sanctae crucis solatio, in qua saluatoris mei manus ex-
pansae sunt, orabo. Sequitur comparatio in qua dicit
poenitens sic animam suam desiderare Deum, quem-
admodum terra sitiens pluuias expectat, ut fructus
,, germinet desiderabiles. Sine aqua tibi. O Deus tibi
,, sit anima mea irrigata, & a te irrigata ut tibi faciat
fructum. Velociter exaudi me domine, quia de-
fecit spiritus meus. Velociter deficiet spiritus anima-
lis, & reuertetur caro in terram suam, & non a-
gnoscet amplius locum eius. Quia semel nascitur homo,
& semel renascitur: semel moritur, & semel resusci-
tabitur: ideo domine miserere dum est tempus mise-
rendi, & tempus acceptabile & dies salutis: Scio
citissime uenire diem, in qua iudicabor secundum

opera mea. Miserere nunc domine Iesu, ut misserea-
„ *ris tunc in iudicio.* Non auertas faciem tuam à me:
Quia si auerteris faciem misericordiæ tuæ à me:
„ Ero similis descendentibus in lacum. Lacum ue-
rò inferiorem locum inferni designat, ubi impij per-
petua torquentur angustia. De quo quomodo libera-
bitur nisi gratia Dei præueniente tempus iudicij? Po-
test quoque lacus intellegi profunditas peccatorum: ad
quam si peccator uenerit, contemnet salutem desperan-
do animæ suæ. A qua liberari se sicut ab infernali iste
„ pœnitens deprecatur, & subiungit: Auditā fac mihi
„ mane misericordiam tuam domine, quia in te speraui.
Ecce in nocte sum, sed in te sperabo donec noctur-
na transeat iniquitas, & mane miserationes tuæ qua-
„ si aurora lucis ueniant mihi. Notam fac mihi uiam
„ in qua ambulem. Id est, notam fac mihi uiam præ-
ceptorum tuorum, ut ambulem in ea, illuminatus ab
eo qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc
„ mundum. Quia in te speraui domine. Certe confi-
tentis est consolatio, spes in bonitate saluantis domini.
„ Eripe me de inimicis meis domine ad te confugi.
Qui inimici nisi dæmones, nisi seculi ambitiones, ni-
si carnalia desideria? quibus relictis ad te comfugi,
non à te sicut Adam ad umbras post meridiem feli-
citatis. Non habeo ad quem faciam confugium nisi ad
„ te domine Deus meus. Doce me facere uoluntatem
„ tuam. Quia uoluntas tua mea est salus, qui uis omnes
„ homines saluos fieri & neminem perire. Quia tu
„ es Deus meus. Quia tu es totum bonum meum, tota

salus mea. Dominũ quærã propter redẽptionem, patronũ quæro propter libertatẽ. Tu es Deus meus, tu creasti me, per aliũ recreari nequeo nisi per te per quẽ creatus sum. Creasti me per uerbũ Deũ manẽs apud te, recreas
„ p uerbum carnẽ factum propter nos. Spiritus tuus
„ bonus deducet me in terram rectam. Quia spiritus meus malus deduxit me in terram peruersam : spiritus tuus bonus deducat me in terrã rectã. Spiritus tuus bonus semp est, meus uerò semper malus, nisi per tuũ effi
„ ciatur bonus. Propter nomen tuũ domine, uiuificabis
„ me in æquitate tua. Sic clemẽtissima dei gratia commẽdatur, cuius miseratione in nomine saluatoris, nõ no
„ stris meritis uiuificati sumus. Educes de tribulatione
„ animã meã. Educentur de tribulatione tãquã de carceribus animæ sanctæ, quãdo à tẽtationibus inimici liberabũtur, & ad requiẽ peruenient, ubi nulla erit ultra tribulatio tentãtis inimici. Ita finis uitæ præsentis termi
„ nus est laboris sanctorũ. Quoniã disperdet deus ini
„ micos eorum, & perdet omnes qui tribulant animas
„ seruorum suorum. Hic enim tribulantur iusti, ibi uerò in requie beatitudinis gloriabuntur, & consolabũtur persecutionem pro Christi nomine patientes. Dicente ipsa ueritate: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum in secula seculorum, Amen.

Centesimusdecimus octauus psalmus magnum in se mysterium continet: sed quoniam continentur in eo, lex, mandata, iustificationes, testimonia, iudicia: quæ utique inter ea distent. discernere necesse est. Lex ergo

est quæ ꝑ Moysen data, in Christo spiritaliter debet intelligi: quia apostolus cũ illã sanctã uocet & umbram, tamẽ eã futurorũ esse describit. Mãdata sunt, in quibus præceptorũ dominicorum custodia deputatur. Iuxta illud: Non occides, nõ mœchaberis, & reliqua. Iustificationes sunt, quibus deus per suã dilectionem & proximi, Zizania odij ab hominũ corde iubet euelli. Testimonia sunt in quorũ præsentia nobis obseruationũ sanctarũ ordo cõmittitur. Sicut Moyses cœlum & terram inuocat testes, & Paulus ad Timotheum: Testificor tibi, inquit, in conspectu Dei uiuẽtis, & in conspectu electorũ angelorum eius, & reliqua. Iudicia autem sunt, cum aut iustus splendidis honorabitur meritis, aut æternis damnabuntur suppliciis transgressores. Viæ sunt apostoli ac prophetæ, per quos uenitur ad ueram uitam quæ est Christus. Totus hic psalmus est scriptus secundum ordinem literarum, ita ut ab una litera octo uersus incipiant, & rursum à sequẽti octo alij compleantur, & hoc similiter ad finem usque texitur. Ab exordio suo magnus psalmus iste charissimi exhortatur nos ad beatitudinem, quam nemo est qui non expetat. Quis enim unquam uel potest uel potuit, uel poterit inueniri, qui nolet esse beatus? Quid igitur exhortatione opus est ad eam rem quam sua sponte appetit animus humanus? Nam profectò qui exhortatur id agit ut excitetur uoluntas eius cum quo agit, propter quod exhortationis adhibetur adloquium. Vt quid ergo nobiscum agitur, ut uelimus quod nolle non possumus, nisi quia omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quónam modo ad eam perueniatur

nesciunt. Ideóque hæc docet iste qui dicit Aleph, *id est doctrina.*

Psalmus CXVIII.

» B*Eati immaculati in uia, qui ambulant in le-*
» *ge domini.* Beati esse non possunt nisi im-
maculati, immaculati autem nō sunt nisi qui in uia ambulāt, uia uerò non est nisi lex domini. Quærens ergo beatitudinem immaculatus in uia sit: & in lege domini, quæ beatorum uia est, ambulet: non sit ociosus, sit sine macula, hoc est sine mortali crimine. Sed *tamen discretionem facit inter maculam & maculam. Quia si sine minutis esse non possumus, uel in maiora incidere non debemus.* Beati ergo immaculati in uia, *qui ambulant in lege domini, in uia Christi, ut ipse ait:* Ego *sum uia & ueritas.* Qui ambulant in lege domini,
» *hoc est in mandatis eius.* Beati qui scrutantur testimo-
» *nia eius, in toto corde exquirunt eum.* Vt intelligant
cum peccauerint, se coram testibus deliquisse: ait autem, qui in toto corde exquirunt eum, & non leuiter
» *neque segniter.* Non enim qui operantur iniquita-
» *tem in uiis eius ambulauerunt.* Viæ enim apostoli
sunt & prophetæ, per quos uenitur ad illam uitam, qui dixit: Ego *sum uia & ueritas & uita, sicut iam diximus.* In *hac enim uia non incedunt impij, quia satanæ uiam sequuntur.* Tu mandasti mandata tua
» *custodiri nimis.* Non *tepido corde neque dissoluto animo, sed fortiter & attentè nos sua mandata edocet custodire.* Nimis *posuit pro ualde:* Valde *itaque*

præcepit hoc Deus, & ualde oportet Dei custodire
,, mandata. Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custo-
,, diendas iustificationes tuas. Nisi enim ab ipso domi-
no dirigantur uiæ nostræ, ad eius custodiendas iustifi-
cationes infirmi erimus propter fragilitatem carnis. De-
disti inquit mandatum, & custodire illud præcepi-
sti, sed utinam præbeas auxilium, ut possim facere te
,, iubente quod faciendum didici te docente. Tunc
,, non confundar, cum perspexero in omnibus manda-
,, tis tuis. Cum, inquit, directæ fuerint uiæ meæ per
gratiam tuam tunc inspectione mandatorum tuorum
non confundar, dum respicio in omnia mandata tua.
Non enim alia prætermittere & alia obseruare, sed o-
mnia æqualiter custodire oportet, ne in futuro iudicio
,, confundamur. Confitebor tibi domine in directione
,, cordis, in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ. Con-
fitebor si directum fuerit iter meũ & cor meũ: te præ-
dicabo domine, te laudabo, & tui esse hoc operis con-
,, fitebor. Iustificationes tuas custodiam, non me dere-
,, linquas usquequaque. Hoc est, faciam quod iubes si
me adiuueris usquequaque. Ac si apertè diceret, A bono
opere errare me nõ sinas, ne dum amitto ordinem bene
uiuendi, rectitudinẽ perdã loquendi. Hoc petit ne pe-
nitus deseratur, sed ita potius ut ab eo nunquam &
,, nusquã diuinum abscedat auxilium. In quo corrigit
,, iunior uiã suã? in custodiendo sermones tuos. Inter-
rogatio est in quo iunior uiã suã corrigat: & respõdetur
quòd correctio hæc sit, ut Dei uerba custodiat. Iuue-
nem enim dixit omnem hominẽ qui uetusto peccati ho
,, mine deposito fit nouus in Christo. In toto corde meo

,, xit in orationem pauperū. & non spreuit precem eo-
,, rum. Veniente saluatore nostro in mundum, tunc ex-
audita sunt preces huius pauperis quæ sæpius recitatæ
sunt in conspectu diuinæ pietatis. Iste pauper unus
est & multi sunt, unus in charitate, multi in latitudine
totius orbis, quibus est una fides, unum baptisma, u-
,, nus Deus. Scribantur hæc in generatione altera,
,, & populus qui creabitur laudabit dominum. Scri-
pta sunt hæc prophetarum dicta, quæ modo legun-
tur in generatione altera. Illa fuit prima generatio in
qua hæc scriptura ædita est, quam nunc legit in ista ge-
neratione sequenti populus qui creabitur à domino de
multitudine gentium, laudans in ueritate lucis non in fi-
,, guris umbrarum. Quoniam prospexit de excelso
,, sancto suo, dominus de cælo in terram aspexit. De
cælo dominus per unicum filium suum prospexit in ter
ram miseriæ nostræ. Vt audiret (sicut sequens uersus o-
stendit) gemitus compeditorum, humani scilicet generis
quod diaboli uinculis in primo parente ligatum est, mor
tique perpetuæ perditionis addictum. Hoc de cælo pro
spiciens dominus, uenit soluere uinctos, & uiuificare
,, interemptos. Vt annuncietur in Sion nomen domini,
,, & laus eius in Hierusalem. Quia de Sion ut ait
propheta exibit lex, & uerbū domini de Hierusalem.
Ibi quippe primum prædicatum est per apostolos no-
men domini: sic legitur in actibus apostolorum, multitu-
dinem credentium ibi esse, & ipsum dominum præce-
pisse in Euangelio constat, prædicare apostolos pœnitē-
tiam & remissionem omniū peccatorum in omnes gen
tes, incipientes primo ab Hierusalem. De quibus paulo

post ait Euangelista: Et erant semper in templo laudan
,, *tes & benedicentes dominum.* In conueniendo po
,, *pulos in unum & regna ut seruiant domino.* Ad
hoc enim gemitus pauperum exauditus est, scilicet ut
conueniens populus in unũ, laudes domini personaret.
In *eo quòd ait populos in unum, uirtus catholicæ uni-*
tatis signatur, quia omnes unum sumus in Christo. Velu-
ti ipse dominus patri pro suis supplicans ait ut sint unũ
in nobis. Et *regna ut seruiant domino.* I*sta seruitus do-*
mini uera libertas est hominis, per quod seruitium Dei
in tãtam gloriã exaltata est Ecclesia: *ut etiã regna ser-*
,, *uiant illi, quæ etiã ante persequebantur eã.* Respon-
,, *dit ei in uia uirtutis suæ.* Quis? *cui respondit?* Popu
lus christianus Deo *suo,* Ecclesia Christo *capiti suo.* Quid
respõdit? ut faciat quæ iubet qui se redemit. Vbi *respõ-*
dit? in uia scilicet uirtutis suæ. Quæ *est uia uirtutis suæ,*
nisi Christus? *qui ait, ego sum uia, & ueritas, & uita, si-*
ne quo nihil possumus in bonis operibus respõdisse præ
,, *ceptis domini.* Paucitatem *dierum meorum nuncia*
,, *mihi.* Vox Ecclesiæ *de fine mundi per apostolos domi-*
nũ deprecantis, qui dixerũt: Dic *nobis quãdo hæc erũt*
& quod signum aduentus tui & consummationis se-
culi? qui respondit: Primum *prædicabitur hoc* Euange
lium in toto mundo & cætera quæ ibi leguntur de si-
gnis consummationis seculi. Quod *tempus paucitatem*
nominat dierum iste pœnitens, qui ab initio mũdi usque
in finem totum tempus in comparationem æternitatis,
quasi unũ & paruissimũ computat momentũ. Optat
iste pœnitens peruenire ad æternæ beatitudinis fœlici-
tatẽ, sicut Euãgelicus *semp seruus iubetur esse paratus.*

„ Ne reuoces me in dimidio dierũ meorũ, in seculũ secu
„ li anni tui. AEternitatem iste pauper desiderãs, nõ uult
reuocari ad medios uitæ suæ dies.i.ad iuuẽtutis annos,
in quibus maximè feruore carnis peccare solent homi-
nes. Ad hos dies nõ cupit regredi, ut ad æternos domi
ni annos qui mutabiles non sunt, puenire mereatur, ubi
uarietas temporum non erit, sed stabilis quædam sem-
pérque eadẽ uita permanet mutationi nõ obnoxia. Se-
culum est, regeneratio huius generationis quæ in Eu-
angelio designatur, ubi dominus ait in regeneratione,
„ cum sederit filius in sede maiestatis suæ. In initio tu
„ domine terram fundasti, & opera manuum tuarum
„ sunt cæli. Hoc est quod in capite sanctarum scriptu-
rarum legitur, in principio creauit Deus cælum & ter
ram, hoc ideo ait iste laudator domini, ut intelligeretur
nos eundem habere redemptorem. Qui uerò initio cæ
lum & terram creauit, sine initio esse manifestum est.
Opera manuum tuarum sunt cæli, id est uirtute Dei
„ & sapientia facta sunt omnia. Ipsi peribunt, id est
cælum & terra, sic in Euangelio legitur, uerba autem
„ mea non transibunt. Tu autem permanes & omnes
„ sicut uestimentum ueterascent. Solum dominum im-
mutabilem esse declarat, dum omnia sicut uestimenta
ueterascent. Carnis uero humanæ fragilitatem hic ui-
detur ostendere. Ipsum enim ueterascit quod more
„ uestis consumitur. Sicut opertorium mutabis eos &
„ mutabuntur. Fortassis cælum intelligitur coopertoriũ
terræ esse, quod in melius mutandum esse alia scriptu-
ra designat ubi dicitur, & erit cælum nouum & ter-
„ ra noua. Tu autem idem ipse es, & anni tui non

deficient. Omnia esse mutabilia præter solum creatorem designat: qui semper idem est quod est, & anni æternitatis illius nunquam deficient. Non quòd in Deo anni intelligendi sint ut unus ueniat & alter transeat, sed æternitas illius, quæ semper eadem est, annorum nomine designatur. Filii seruorum tuorum inhabitabunt ibi, id est habitabunt annos æternitatis sanctorum filii patrum, prophetarum scilicet & apostolorum uel doctorum Ecclesiæ. Nec æstimandum est ibi non esse patres ubi filii futuri sunt: quòd si filii ibi, quãto magis & patres? si discipulus bonus, & magister melior discipulo. Et semen eorum in seculum seculi dirigetur. Quorum semen, nisi doctorum suorum qui in æterna diriguntur beatitudine? qui rectam hic tenuerũt uiam, beatitudinis præmia ibi possidebunt. Ideo non tardet quisque peccator pœnitentiam agere, quatenus ad huius præmij gloriam peruenire mereatur. Recordetur iugiter primam dominicæ prædicationis uocem qua dictum est, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, Amen.

Psalmi titulus.

Psalmus iste inter canticos graduum undecimus est, qui numerus quandam diminutionem perfectionis demonstrat, sed sextus est in ordine pœnitentiæ. Quem numerum, id est sex, suis partibus constat esse perfectũ. In quo ipse creator condidit omnia, ut ostenderet omnia esse perfecta quæ creauit. Iste uerò pœnitens per pœnitentiæ lachrymas ad perfectionem indulgentiæ peruenire nititur dicens:

Psalmus CXXIX.

„ E profundis clamaui ad te domine. De profundis, id est nimietate peccatorum de quibus non est alia salus illi nisi ad dominum clamare, & in eius sperare clementiam. Ideo postulat suum exaudiri clamorem quem de profundo peccatorũ eru-
„ ctauit dicens: Domine exaudi uocem meam. Ipsi enim sunt altissimo uiciniores qui de sanctæ humilitatis uisceribus eruperũt se confitentes esse peccatores, & de
„ profundo clamasse iniquitatis dicentes: Fiant aures
„ tuæ intendentes in orationem serui tui. Quis est qui clamat? peccator scilicet. Vnde clamat? etiã de ꝓfundo. Quo iam profundo, nisi peccatorũ? qua spe clamat? qui uenit soluere peccata dedit spẽ etiam in profundo posito peccatori clamandi ueniamque sperandi. Quid ue-
„ ro iste clamat peccator, audiamus. Si iniquitatẽ ob-
„ seruaueris domine, domine quis sustinebit? Ecce apparuit de quo profundo clamaret. Clamat sub fluctibus quasi in profundo demersus iniquitatum suarum, accusans seipsum in cogitationibus, uerbis, & factis: intelligens totam uitam humanam tentationibus subiacere.
„ Sequitur in qua spe clamaret dicens: Quia apud te
„ propiciatio est. Quæ est ista propiciatio, nisi sanguis Christi, sanguis innocens qui effusus est in propiciationem peccatorum nostrorum? Ergo domine apud te est propiciatio quæ me excitat ad te clamare. Quia si iudex tantum & non propiciator fieri uoluisses, obser-
„ uares iniquitates nostras, & nemo sustineret. Et pro
„ pter legem tuam sustinui te domine. Expectaui te domine qui mihi in lege promissus fuisti. Quæ me lex reum fe

cit, & compulit me ad te clamare qui es legislator, &
,, redemptor sub lege factus filius hominis. Sustinuit a-
,, nima mea uerbum tuum. Quod uerbum? quod erat in
principio apud Deum. Hoc uerbum expectaui, ut ca-
ro fieret, & liberaret animã meã, in quo suscepimus
remissionẽ peccatorum & promissionem regni cælorũ.
In quo uerbo sperauerunt prophetæ: quod uerbum a-
postoli tractauerunt & uiderunt. In quo uerbo beati
sunt etiam credentes quamuis ipsum carnaliter non
uidissent. In hoc uerbum omnes animæ sanctorum spe
,, rant. A custodia matutina usque ad noctem speret
,, Israel in domino. Custodia matutina est manifestata
resurrectio domini saluatoris, quoniam sepulchrum cu
stodientibus Iudæis, resumpti corporis ueritate sur-
rexit. Vsque ad noctem, id est usque ad terminum hu-
ius seculi in hac spe nobis uiuendum est, ut modo re-
surgamus in anima, & in nouissimo die resurgamus in
corpore. Qui uero à morte animæ modo resurgit per
uerbum filij Dei, tunc fœliciter resurget in carne per uer
bum Dei filiũ hominis. In hac enim promissione speret
Israel in domino. spe enim salui facti sumus. Quod nũc
spei dulcedine habemus, tũc rei ueritate tenebimus. No-
li tu Israel, id est uir uidens Deũ, dubitare de hac pro-
,, missionis fœlicitate. Quia apud dominum misericor
,, dia & copiosa apud eum redemptio. Quamuis pecca
tor peccatorũ mole prematur, adest misericordia Dei in
Christo qui sine peccato uenit ut peccata solueret.
Apud quem copiosa est redemptio, quia ubi abun-
,, dauit peccatum, superabundauit gratia. Ipse
,, est qui redemit Israel ab omnibus iniquitatibus suis.

Ideo tu peccator noli cessare: clama de profundo; expelle à te omnem desperationem. Dic dic, Si iniquitatem obseruaueris domine, domine quis sustinebit! obserua illū, expecta illū, propter legē ipsius, quā legē tibi dedit in oratione qua deprecaris ꝓ peccatis tuis dicēs: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Spera te resurrecturum, & te futurum omni modo sine peccato, quoniam ille surrexit qui primus fuit sine peccato. Noli dicere, non sum dignus misericordia illius propter peccata: cogita apud eū multam esse redemptionem, qui seipsum tradidit ut te redimeret. Liberatus per pœnitentiam, noli iterum ligari per peccatum. Serui domino quasi filius, non quasi seruus: quia omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo, filius autem manet apud patrem suum in æterna beatitudine, Amen.

Titulus. Psalmus ipsi Dauid, quando eum filius suus persequebatur.

In libris Regum hanc historiam legimus quomodo Absalō patrem suū Dauid expulit de regno. Sed alius est Dauid uerè manu fortis: in bello fortis, qui percussit hostem superbissimum dominus noster Iesus Christus. agnoscendus est itaque Dauid iste quē persequebatur filius suus Iudas tradens eum in mortem, habebat enim filios de quibus dicebat: Non possunt filij sponsi lugere quandiu sponsus est cum eis: ueniet autem dies quando sponsus auferetur ab eis, tunc lugebunt. Lugendum est animis peccantium, si sponsus auferatur ab eis.

propter peccata? & primo omnium poscendum ut exaudiatur oratio eorum: deinde ne inducantur in iudicium, postremo ut eripiantur ab inimicis suis quorum potestati à semetipsis traditi sunt propter peccata sua.

Psalmus CXLII.

» D Omine exaudi orationem meã, auribus percipe
» obsecrationem meã. Hoc est exaudi, quod & percipe auribus. Repetitio, magna est deprecãtis intentio: humilitas lachrymarum, absolutio est
» peccatorũ. In ueritate tua exaudi me in tua iustitia.

Cõmendatio gratiæ est, ne unusquisque nostrũ iustitiã suã esse putet qua liberatur, sed iustitia dei est, quam ut habeat Deus dedit. In tua enim dicimus iustitia exaudi me. Ad me enim unum cum respicio, nihil aliud in me nisi peccatũ inuenio. Tota liberatio mea tua est iusti-
» tia. Vnde sequitur: Et non intres in iudiciũ cũ seruo
» tuo. Noli ergo mecum intrare in iudiciũ domine, quãtumlibet mihi rectus uidear. Producis tu de thesauris tuis regulã æquitatis, iudicas me secundũ meã iustitiam,
» & prauus inuenior. Quare? Quia non iustificabitur
» in conspectu tuo omnis uiuens. Omne genus humanũ, significat originali peccato obnoxium. Ideo nullus nisi gratia liberatus tua iustificari poterit. Quòd si nullus iustificabitur, de radice uitiata natus, quantomagis ego
» peccatorum meorum pondere oppressus? Quia per-
» secutus est inimicus animam meam. Iudas animam Christi, diabolus animam meam, peccatorum persua-
» sione persecutus est, atque humiliauit in terra uitam meam. Dum terrenis contagiis aspersit animam meã,
» & uitiorum puluere sordidauit eã. Collocauit me

,, in obscuris sicut mortuos seculi, qui in peccatis suis mo-
riuntur, retributionem recipientes iniquitatis suæ, ideo:
,, Et anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum
,, est cor meum. Anxiatus est per pœnitentiam spiri-
tus meus, & totum cor meum pro scelerum enormitate
meorum conturbatum est, timens ne cum seculi mor-
,, tuis damnet me iudex iustus. Memor fui dierum
,, antiquorum. Dies antiqui sunt, in quibus secun-
dum ueterem hominem uiuebam in peccatis, quo-
,, rum memoria me torquet. Meditatus sum in omni-
,, bus operibus tuis, in factis manuum tuarum medita-
,, bar. Vidi, inspexi omnia opera tua, quia nihil bo-
ni in nobis esse potest, nisi tua operante gratia fiat, qui
nos fecisti. Hæc intentius considerans quid feci scilicet?
,, Expãdi manus meas ad te, anima mea sicut terra si-
,, ne aqua tibi. Expãdi manus meas in orationibus: &
in sanctæ crucis solatio, in qua saluatoris mei manus ex-
pansæ sunt, orabo. Sequitur comparatio in qua dicit
pœnitens sic animam suam desiderare Deum, quem-
admodum terra sitiens pluuias expectat, ut fructus
,, germinet desiderabiles. Sine aqua tibi. O Deus tibi
,, sit anima mea irrigata, & à te irrigata ut tibi faciat
fructum. Velociter exaudi me domine, quia de-
fecit spiritus meus. Velociter deficiet spiritus anima-
lis, & reuertetur caro in terram suam, & non a-
gnoscet amplius locum eius. Quia semel nascitur homo,
& semel renascitur: semel moritur, & semel resusci-
tabitur: ideo domine miserere dum est tempus mise-
rendi, & tempus acceptabile & dies salutis: Scio
citissimè uenire diem, in qua iudicabor secundum

opera mea. Miserere nunc domine Iesu, ut miserearis tunc in iudicio. Non auertas faciem tuam à me: Quia si auerteris faciem misericordiæ tuæ à me: Ero similis descendentibus in lacum. Lacum uerò inferiorem locum inferni designat, ubi impij perpetua torquentur angustia. De quo quomodo liberabitur nisi gratia Dei præueniente tempus iudicij? Potest quoque lacus intellegi profunditas peccatorum: ad quam si peccator uenerit, contemnet salutem desperando animæ suæ. A qua liberari se sicut ab infernali iste pœnitens deprecatur, & subiungit: Auditã fac mihi mane misericordiam tuam domine, quia in te speraui.

Ecce in nocte sum, sed in te sperabo donec nocturna transeat iniquitas, & mane miserationes tuæ quasi aurora lucis ueniant mihi. Notam fac mihi uiam in qua ambulem. Id est, notam fac mihi uiam præceptorum tuorum, ut ambulem in ea, illuminatus ab eo qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Quia in te speraui domine. Certe confitentis est consolatio, spes in bonitate saluantis domini.

Eripe me de inimicis meis domine ad te confugi. Qui inimici nisi dæmones, nisi seculi ambitiones, nisi carnalia desideria? quibus relictis ad te confugi, non à te sicut Adam ad umbras post meridiem felicitatis. Non habeo ad quem faciam confugium nisi ad te domine Deus meus. Doce me facere uoluntatem tuam. Quia uoluntas tua mea est salus, qui uis omnes homines saluos fieri & neminem perire. Quia tu es Deus meus. Quia tu es totum bonum meum, tota

ſalus mea. Dominũ quærã propter redẽptionem, patro-
nũ quæro propter libertatẽ. Tu es Deus meus, tu creaſti
me, per aliũ recreari nequeo niſi per te per quẽ creatus
ſum. Creaſti me per uerbũ Deũ manẽs apud te, recreas
,, ꝑ uerbum carnẽ factum propter nos. Spiritus tuus
,, bonus deducet me in terram rectam. Quia ſpiritus
meus malus deduxit me in terram peruerſam : ſpiritus
tuus bonus deducat me in terrã rectã. Spiritus tuus, bo-
nus ſemp eſt, meus uerò ſemper malus, niſi per tuũ effi-
,, ciatur bonus. Propter nomen tuũ domine, uiuificabis
,, me in æquitate tua. Sic clemẽtiſſima dei gratia com-
mẽdatur, cuius miſeratione in nomine ſaluatoris, nõ no-
,, ſtris meritis uiuificati ſumus. Educes de tribulatione
,, animã meã. Educentur de tribulatione tãquã de car
ceribus animæ ſanctæ, quãdo à tẽtationibus inimici li-
berabũtur, & ad requiẽ peruenient, ubi nulla erit ultra
tribulatio tentãtis inimici. Ita finis uitæ præſentis termi
,, nus eſt laboris ſanctorũ. Quoniã diſperdet deus ini-
,, micos eorum, & perdet omnes qui tribulant animas
,, ſeruorum ſuorum. Hic enim tribulantur iuſti, ibi ue-
rò in requie beatitudinis gloriabuntur, & conſolabũ-
tur perſecutionem pro Chriſti nomine patientes. Dicen-
te ipſa ueritate: Beati qui perſecutionem patiuntur pro-
pter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum
in ſecula ſeculorum, Amen.

Centeſimusdecimus octauus pſalmus magnum in
ſe myſterium continet : ſed quoniam continentur in eo,
lex, mandata, iuſtificationes, teſtimonia, iudicia: quæ
utique inter ea diſtent. diſcernere neceſſe eſt. Lex ergo

est quæ p Moysen data, in Christo spiritaliter debet intelligi: quia apostolus cũ illã sanctã uocet & umbram, tamẽ eã futurorũ esse describit. Mãdata sunt, in quibus præceptorũ dominicorum custodia deputatur. Iuxta illud: Non occides, nõ mœchaberis, & reliqua. Iustificationes sunt, quibus deus per suã dilectionem & proximi, Zizania odij ab hominũ corde iubet euelli. Testimonia sunt in quorũ præsentia nobis obseruationũ sanctarũ ordo cõmittitur. Sicut Moyses cœlum & terram inuocat testes, & Paulus ad Timotheum: Testificor tibi, inquit, in conspectu Dei uiuẽtis, & in conspectu electorũ angelorum eius, & reliqua. Iudicia autem sunt, cum aut iustus splendidis honorabitur meritis, aut æternis damnabuntur suppliciis transgressores. Viæ sunt apostoli ac prophetæ, per quos uenitur ad ueram uitam quæ est Christus. Totus hic psalmus est scriptus secundum ordinem literarum, ita ut ab una litera octo uersus incipiant, & rursum à sequẽti octo alij compleantur, & hoc similiter ad finem usque texitur. Ab exordio suo magnus psalmus iste charissimi exhortatur nos ad beatitudinem, quam nemo est qui non expetat. Quis enim unquam uel potest uel potuit, uel poterit inueniri, qui nolet esse beatus? Quid igitur exhortatione opus est ad eam rem quam sua sponte appetit animus humanus? Nam profectò qui exhortatur id agit ut excitetur uoluntas eius cum quo agit, propter quod exhortationis adhibetur adloquium. Vt quid ergo nobiscum agitur, ut uelimus quod nolle non possumus, nisi quia omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quonam modo ad eam perueniatur

nesciunt. Ideóque hæc docet iste qui dicit Aleph, id est doctrina.

Psalmus CXVIII.

" Beati immaculati in uia, qui ambulant in le-
" ge domini. Beati esse non possunt nisi immaculati, immaculati autem nō sunt nisi qui in uia ambulāt, uia uerò non est nisi lex domini. Quærens ergo beatitudinem immaculatus in uia sit: & in lege domini, quæ beatorum uia est, ambulet: non sit otiosus, sit sine macula, hoc est sine mortali crimine. Sed tamen discretionem facit inter maculam & maculam. Quia si sine minutis esse non possumus, uel in maiora incidere non debemus. Beati ergo immaculati in uia, qui ambulant in lege domini, in uia Christi, ut ipse ait: Ego sum uia & ueritas. Qui ambulant in lege domini,
" hoc est in mandatis eius. Beati qui scrutantur testimo-
" nia eius, in toto corde exquirunt eum. Vt intelligant cum peccauerint, se coram testibus deliquisse: ait autem, qui in toto corde exquirunt eum, & non leuiter
" neque segniter. Non enim qui operantur iniquita-
" tem in uiis eius ambulauerunt. Viæ enim apostoli sunt & prophetæ, per quos uenitur ad illam uitam, qui dixit: Ego sum uia & ueritas & uita, sicut iam diximus. In hac enim uia non incedunt impij, quia satanæ uiam sequuntur. Tu mandasti mandata tua
" custodiri nimis. Non tepido corde neque dissoluto animo, sed fortiter & attentè nos sua mandata edocet custodire. Nimis posuit pro ualdè: Valde itaque

præcepit hoc Deus, & ualde oportet Dei custodire
,, mandata. Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custo-
,, diendas iustificationes tuas. Nisi enim ab ipso domi-
no dirigantur uiæ nostræ, ad eius custodiendas iustifi-
cationes infirmi erimus propter fragilitatem carnis. De-
disti inquit mandatum, & custodire illud præcepi-
sti, sed utinam præbeas auxilium, ut possim facere te
,, iubente quod faciendum didici te docente. Tunc
,, non confundar, cum perspexero in omnibus manda-
,, tis tuis. Cum, inquit, directæ fuerint uiæ meæ per
gratiam tuam tunc inspectione mandatorum tuorum
non confundar, dum respicio in omnia mandata tua.
Non enim alia prætermittere & alia obseruare, sed o-
mnia æqualiter custodire oportet, ne in futuro iudicio
,, confundamur. Confitebor tibi domine in directione
,, cordis, in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ. Con-
fitebor si directum fuerit iter meũ & cor meũ: te præ-
dicabo domine, te laudabo, & tui esse hoc operis con-
,, fitebor. Iustificationes tuas custodiam, non me dere-
,, linquas usquequaque. Hoc est, faciam quod iubes si
me adiuueris usquequaque. Ac si apertè diceret, A bono
opere errare me nõ sinas, ne dum amitto ordinem bene
uiuendi, rectitudinẽ perdã loquendi. Hoc petit ne pe-
nitus deseratur, sed ita potius ut ab eo nunquam &
,, nusquã diuinum abscedat auxilium. In quo corrigit
,, iunior uiã suã? in custodiendo sermones tuos. Inter-
rogatio est in quo iunior uiã suã corrigat: & respõdetur
quòd correctio hæc sit, ut Dei uerba custodiat. Iuue-
nem enim dixit omnem hominẽ qui uetusto peccati ho
,, mine deposito fit nouus in Christo. In toto corde meo

" exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Fecisti inquit, in toto corde meo ut exquirerem te, fac ut in mãdatis tuis maneã: quæ ut mihi poßibilia sint adiuua me, & noli me ab eis repellere, id est, noli mihi auxilium
" tuum subtrahere. In corde meo abscondi eloquia
" tua, ut non peccem tibi. Continuò diuinum quæsiuit auxilium, ne in corde eius Dei eloquia sine fructu absconderentur, nisi opera iustitiæ sequerentur. Cum
" enim hoc dixisset, adiunxit: Benedictus es domine,
" doce me iustificationes tuas. Vt quid enim dicit, doce me iustificationes tuas, nisi quia eas uult faciendo discere, non loquendo uel memoria retinendo tantummo-
" do? In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris
" tui. Nihil, inquit, iudiciorũ tuorum tacui, sed omnia prorsus in labiis meis enunciaui, ea scilicet quæ mihi ore tuo, id est, eloquiorum tuorum prædicatione dixisti.
" In uia testimoniorum tuorũ delectatus sum sicut in
" omnibus diuitiis. Via testimoniorũ Dei Christus est, in quo sunt oẽs thesauri sapiẽtiæ & sciẽtiæ abscõditi. In hac ergo uia quasi in omnibus diuitiis delectatur qui uadit p illã. Multa erga nos sunt testimonia diuinæ dilectiõis impleta, & nõ dubiũ quin expectẽtur implẽda.
" In mãdatis tuis me exercebor, & considerabo uias
" tuas. Exercitatio aßiduitas operis est: & iste nisi exercitatus in mãdatis Dei fuißet, nõ poterat considerare uias eius: id est, apostolicas propheticásque doctrinas.
" In iustificationibus tuis meditabor: nõ obliuiscar ser
" mones tuos. Ea meditor, in his exerceor, ut illa obliuioni nõ tradẽs poßim ea integrè pfectéq; cõplere. Gimel uox. Retribue seruo tuo, uiuifica me: & custodiã sermo-

nes tuos. Quatuor enim sunt retributiones: aut mala ꝑ malis retribuuntur, sicut deus ignẽ æternũ retributurus est impijs. Aut bona pro bonis, sicut regnum æternũ re tributurus est iustis: Aut bona ꝑ malis, sicut Christus per gratiam iustificat impium: Aut mala pro bonis, sicut Iudæi per malitiam persecuti sunt Christum. Harum quatuor retributionum duæ priores pertinent ad iustitiam ut retribuãtur mala pro malis, bona pro bonis. Tertia pertinet ad misericordiam, ut retribuantur bona pro malis. Quartam autem Deus nescit, nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam tertio loco posui primitus necessaria est: nisi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo esset quibus retribueret bona pro bonis. Sciens ergo uerba Dei non posse custodiri per obedientiam, nisi uideantur per intelli-
» gentiam, hoc quoque orationi addit, & dicit: Reuela
» oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua.
Da, inquit, mihi intellectum quo possim mirabilia tua legis inspicere, & uirtutem præceptorum tuorum uide-
» re. Incola ego sum in terra: non abscondas à me mã
» data tua. Ibi quisque est peregrinus ubi absens à patria sua. Iste ergo qui supernæ Hierusalẽ ciuis adscriptus est, peregrinum se confitetur in terra, quia certus est de hæreditate promissa. Sed quia tentatio est uita humana super terram, petit ne in tempore tribulationis & incolatus sui abscondantur ab eo mandata Dei.
» Cõcupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas
» in omni tempore. Vt siue manducem siue bibam, siue aliud quid faciam, ea semper desiderem, mediter, adprehendam. Tu enim me iustificas, tua me facit gratia

iustum, & bonum mihi est semper hoc desiderare, & in hoc tuo præsidio delectari. Alioquìn iustus non ero si defuerit mihi gratia tua, aut inflauerit me superbia.

„ *Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mā-*
„ *datis tuis.* *Increpatio hæc intelligenda est, quam primi hominum genitores sua transgreßione meruerūt, declinantes à mandato Dei per superbiam qua concupierunt non quod Deus diligendum præcepit, sed quod diabolus inuidendo persuasit. Omnis itaque superbus huic increpationi subiectus est, siue hæreditario merito, siue uoluntatis arbitrio. Superbi enim declinant à mandatis Dei. Aliud est quippe mandatum eius per infirmitatem uel ignorantiam non implere, aliud ab eis per superbiam declinare. Tunc omnes impij plenam accipient maledictionem cum audierint: Ite maledicti in*
„ *ignem æternum.* *Aufer à me opprobrium & contē-*
„ *ptum, quia testimonia tua exquisiui.* *Non otiose nec somnolenter, sed strenuè uigilantérque sancti testimonia diuina exquisierūt, ut talia paterentur: ut est præceptū domini, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam &c. Sed hæc oratio pro persecutoribus funditur, non inrogando ultionem pœnæ, sed ut dum conuersi fuerint ad dominum martyribus tollatur opprobriū,*
„ *quando & illi ipsam religionem coluerint.* *Etenim*
„ *sederunt principes & aduersum me loquebantur, ser-*
„ *uus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.*
Quod in hoc uersiculo propheta in se loquitur, futurum in apostolis reliquisque martyribus uidet, qui multa coram regibus & præsidibus domino hoc etiam pronunciante perpeßi sunt, qui licet sint diuersis pœ-

nis adfecti usque ad sectionem ceruicum, tamen sem-
,, per serui Dei se exercuerunt in iustificationibus. Nã
,, & testimonia tua meditatio mea est, & consiliũ meum
iustificationes tuæ sunt. Sic ergo exercebatur seruus
Christi, ut contra persequentes decertaret: consilium
persequentium principum fuit, inuentos martyres per-
dere. Consilium patientium martyrum fuit, inimicos
perditos inuenire. Reddebant illi mala pro bonis, isti
bona pro malis. Quid ergo mirum si isti occidendo de-
fecerunt, illi moriendo uiuificarunt? Daleth. Adhæ-
sit pauimento anima mea, uiuifica me secundum uer-
bum tuum. Corpori mortali animam coniunctam
intelligo, ideo ne delictum inualescat, à te peto uiui-
ficari, sciens quoniam concupiscentia carnis mortem
,, operatur. Vias meas enuntiaui & exaudisti me,
,, doce me iustificationes tuas. Vias uocat actus hu-
manos: sine dubio actui ipso uiæ nomen imponit.
Vias peccati mei confessus sum & remisisti, nunc do-
ctrinam indulge, qua me iustificationes tuas edoceas.
,, Viam iustificationum tuarum instrue me, & ex-
,, ercebor in mirabilibus tuis. Merito cohors sancta iu-
stificationum uiam intelligere quærebat, quæ uias suas,
id est peccata prodiderat: quia nisi illa damnemus, ad
istam peruenire non possumus. Instrue me ad intelle-
ctum, id est pertinentem ad beatam uitam, & ex-
ercebor in mirabilibus tuis. Vtique sensu & pru-
dentia, ut uetus testamentum ad spiritalẽ trahat intelle-
ctũ. Mirabilia uocat, ipsas quas superius uocat iustifica-
,, tiones. Dormitauit anima mea præ tædio, cõfirma me

,, *in uerbis tuis.* In *huius habitaculi mortalis statione præ tædio imbecillitatis corporeæ cõfirma me in uerbis tuis, ut ablato peccati somno instanter in his uigilem.* Viã *iniquitatis amoue à me, & in lege tua miserere mei.* Ad *illã contemplationem ueritatis euectus, petit quod in isto seculo necessarium fuit, ut uia iniquitatis, hoc est diaboli ab eius infestationibus tolleretur:* Et *in lege tua miserere mei.* Apud *te enim lex hæc instituta est ut sem*
,, *per miserearis.* Viã *ueritatis elegi, iudicia tua non*
,, *sum oblitus.* Viam *ueritatis elegi ubi currerem, iudicia tua non sum oblitus ut currerem: uiam ueritatis elegi* Christum *filium* Dei, *quem præuidens uenturum in mundum audio dicentem:* Ego *sum uia, ueritas, & uita.* Iudicia *tua non sum oblitus: illa iudicia quæ in* Euangelijs *proferens ait: hoc est iudicium ut omnis qui credit in filium hominis habeat uitam æternam.*
,, Adhæsi *testimoniis tuis domine, noli me confundere.*

Et *quia his adhærens anteriorem facinorum indulgentiam merui, quæso ne me patiaris de te ratione pecca*
,, *ti confundi.* Viam *mandatorũ tuorum cucurri, cũ*
,, *dilatasti cor meum.* Cordis *dilatatio ueritatis est dilectio, quòd* Dei *munere fit ut ei non timore pœnæ, sed amore iustitiæ seruatur, cum charitas* Dei *diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Ideo *ergo istam uiam mandatorum* Dei *cucur*
,, *rit, quia cor eius dominus dilatauit.* Legem *pone mi*
,, *hi domine uiam iustificationum tuarum, & exquiram*
,, *eam semper.* Hic *iterum plebs procedit beata, in qua sibi legem petit constitui acquisitam.* Prius *iam dixit,* Et *in lege tua miserere mei, hoc est, in ueteri testamento.*

Nunc autem nouam legem ſibi poni,ueniente ſcilicet domino Chriſto in carne,ut chriſtianorum fides firmaretur iugiter ſe dixit exquirere. Illud enim exquiritur quod magnis precibus poſtulatur indeſinenter.

,, *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cu*
,, *ſtodiam illam in toto corde meo.* Eccleſia rogat *ut intel*
ligat diſcretionem inter bonum & malum, inter ui-
tam & mortem, inter literam & ſenſum. Vt *intelli-*
,, *gam & prædicem, & opere impleam, & cuſtodiam*
,, *illam in toto corde meo, id eſt, ex tota dilectione.* q̃
pulchro ordine dixit! Prius *petit ut lex ei poneretur,*
hoc eſt nouum teſtamentum: deinde ut legis ipſius in-
tentionem cognoſcere meruiſſet, quatenus eam tota in-
,, *tegritate cordis ſeruaret.* Deduc *me in ſemita man-*
,, *datorum tuorum, quia ipſam uolui.* Semita *minor*
eſt quàm uia, hoc eſt arcta & anguſta uia, hoc eſt al-
tiora mandata quæ ducunt ad uitam. Mandata *iſta no*
ui teſtamenti debemus accipere, ubi ſe perduci magno-
pere precabatur. Ipſum *uolui, hoc eſt noui teſtamenti*
gratiam diuinam, per quam ſe ad cælorum regna no-
,, *uerat peruenire.* Inclina *cor meum in teſtimonia tua,*
,, *& non in auaritiam.* Dicit Eccleſia, *id eſt, in humilita*
te, ut illud: Diſcite *à me quia mitis ſum & humilis cor-*
de: Teſtimoniis *quippe ſuis agit nobiſcum* Deus, *ut eũ*
gratis colamus: quod impedit auaritia, radix omnium
malorum. Ergo *non habeamus inclinatum cor in aua-*
ritiam, non colamus dominum niſi propter dominum,
,, *ut ſui cultus ipſe ſit merces.* Auerte *oculos meos ne ui-*
,, *deant uanitatem, in uia tua uiuifica me.* Auerte *oculos*
meos, id eſt ſenſus meos, ne uideant uanitatem, id eſt de-

fectionẽ. Ac si dicat, in ista uanitate quod est defectio, non habeam oculos meos, id est sensus meos defixos, sed, inquit, in uia tua uiuifica me: hoc est in temetipsum
„ uel in tuis mandatis uiuifica me in anima. Statue
„ seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Stabile fit eloquium domini in corde nostro, cùm fit quod eodem iubetur eloquio: & auellitur, cum contrarium opus agitur. Petit ergo seruus Dei ut in eo confirmetur obedientia perseuerans, qua de statu suo nullo malæ actionis moueatur impulsu: quod per spiritum & timorem fit castum, quo cauetur ne offendatur charitas,
„ non quo metuitur ne damnetur impietas. Amputa
„ opprobrium quod suspicatus sum, quia iudicia tua iu-
„ cunda. In sententia ista maximum exemplum humanitatis exponitur. Multa enim in opprobrium cadũt aliter quàm habeat ueritas suspicando, quam culpam rogat à se amputari. Suspicio enim sæpißimè probatur incerta, quæ uiro non cõuenit christiano. Hæc ergo suspicio ducit ad opprobriũ quod ex peccato nascitur. Meritò sibi iucundũ domini dicebat esse decretũ p̃ qđ se &
„ requiẽ reperisse nouerat & coronã p̃petuam. Ecce cõ
„ cupiui mãdata tua, in æquitate tua uiuifica me. Fecisti me, inquit, cupidũ mandatorũ tuorũ, fac & efficacem. A diuina ut faciã quod cõmendas, dona ipse quod mandas. Vnum est domine tuæ miserationis donum, ut eloquia sancta custodientes in tua æquitate uiuificemur. Hoc est, ut æqualem te patri & spiritui sancto
„ fateamur. Et ueniat super me misericordia tua do-
„ mine, salutare tuum secundum eloquium tuum. Ad sextam literam conuersatio sancta peruenit, in qua si-

bi postulat salutarem dominum debere concedi, qui est misericordia peccatorum, & uita fidelium, per quem salus gentibus uenit. Secundum eloquium tuum dixit, id est promissionem tuam quam per prophetas promisisti.

» Et respondebo exprobrãtibus mihi uerbum, quia
» speraui in sermonibus tuis. Hæc nobis indicat absolutè sententia respondendum esse uiriliter aduersantibus, ne malignantiũ præsumptio superior esse uideatur. Exprobrãt enim uerbum qui filiũ dicũt esse minorem patre. quia speraui, constanter his respondebo qui uanam dicunt spem meam quã in te habeo, quia illorum spes
» inanis est. Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis
» usquequaque, quia in iudiciis tuis supersperaui. Rogat ut confessionem ueritatis de eius ore nullæ pœnæ, nullus terror extorqueant: cum dicit usquequaque, significat uerbum ueritatis ad tempus aliquibus fuisse sublatũ: ut Petro cõtigit, qui ante galli cantũ ter dominũ negauit: & ipse tamen illud peccatũ fletibus deleuit, & sanguinis effusione mundauit. Quia in iudicijs tuis supersperaui. Iudicia enim domini erant ꝙ turbæ martyrũ diuersis cruciatibus agebãtur ad regna cælo-
» rũ. Et custodiam legem tuam semper, in seculũ &
» in seculũ seculi. Iste & alij uersus usque ad finẽ literæ nõ habẽt deprecationẽ, sed narrationẽ. Supius enim petit ut acciperet, hic de pceptis gratias agit. Sẽper omne tẽpus uitæ præsentis ostendit: in seculo uerò, futurũ seculũ mõstrat. Hæc autẽ quã perpetuo custodire desiderat, charitas accipienda est, quia ipsa est plenitudo legis: & cessantibus cæteris mandatis sola permanet
» in æternum. Et ambulabam in latitudine, quia man

,, *data tua exquisiui*. Dilatatus *enim sum in custodia legis tuæ, quia mandata tua exquisiui*. Diligenter *ea perscrutans ad hoc exquisiui ut crederem & intelligerē*.
,, Et *loquebar de testimonijs tuis in conspectu regū,*
,, *& non confundebar*. Loquebar *de testimonijs domini, quomodo petiuerat & acceperat, ut responderet exprobrantibus sibi uerbum, quia firmitate roboratus ante reges seculi dicit se non esse confusum, sed ueritatem intrepidis sermonibus exercebat*. Et *medi-*
,, *tabor in mandatis tuis quæ dilexi nimis*. Hic *ostendit frequētatæ meditationis ardorem*. Meditari *enim mandata non poterit, nisi qui adsidua lectione percurrerit, quæ dilexi, inquit*. Neglegere *enim numquam potest homo quæ diligit: addit, nimis, supra quam nulla po-*
,, *test dilectio reperiri*. Et *leuabo manus meas ad man*
,, *data tua quæ dilexi, & exercebor in iustificationibus*
,, *tuis*. Superiori *uersu dixit, meditabor in mandatis tuis: quod ad uirtutem respicit inspectiuam*. Modo *autem dicit, leuabo manus meas: quod ad partem pertinet actualem*. Leuare *enim manus, non quasi à recordatione exciderit admonet: & significat bonis operibus occupari. qui in malis actionibus detinetur, non leuat manus suas*. Et *exercebor in tuis iustificationibus, ubi meditabar*. Vbi *enim mentis est intentio, hic exercebatur, ubi quærebat operis frequentatione proficere*.
,, Memento *uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem de-*
,, *disti*. Memento, *quod dicitur* Deo *memento, orantis desiderium, quo promissum adcelerari poscit, ostenditur*. Memento *ergo, inquit, uerbi tui seruo tuo: hoc est imple promissum tuum in quo mihi spem dedisti, hoc*

" est, in quo uerbo sperare me fecisti. Hæc me consola-
" ta est in humilitate mea, quia eloquium tuum uiuificauit
" me. Consolationem inter ærumnas seculi dedit spes futuræ uitæ in humilitate: qua sancta probatur humilitas omnia sustinere patienter: quia eloquium tuum uiuificabat me. Causam reddit quare humilitas eius fuerit consolata, quia spes consolationis uiuificat eum afflictum.

" Superbi iniquè agebant usquequaque, à lege autem
" tua nõ declinaui. Superbi iniquè, superbos intelligi uult persecutores humilium, hoc est impios persecutores piorum, & ideo subiecit: A lege autem tua non declinaui: quia hoc eum facere eorum persecutio compellebat.

" Memor fui iudiciorum tuorum à seculo domine, &
" consolatus sum. Memor fui ex quo genus humanũ sumpsit exordium. Memor fui iudiciorũ tuorum: & quia probaui quòd omnes uiæ tuæ misericordia & ueritas, consolationem accepi, auxilio gratiæ tuæ consolatus sum. Intellexi per spiritum sanctum quòd tu uenturus
" eras in carne. Defectio animæ tenuit me pro peccato
" ribus derelinquentibus legem tuam. Vox Ecclesiæ affectum miserationis ostendit, ut doleat super præuaricationes iniquorum. Necesse est sanctum uirum alterius culpa contristet, dum animus pius saluos fieri uni-
" uersos desiderat. Cantabiles mihi erant iustifica-
" tiones tuæ in loco peregrinationis meæ. Cum dicitur cantabiles, significat psalmodiam cum magna delectatione peragendam. Cantus enim superreleuat labores, & aufert animo tædium. In loco incolatus mei, significat hunc mundum, ubi peregrinatur omnis qui in domino Christo deuotus est, expulso quidem Adam de

,, paradiso, in hac terra inclinatum gerimus. Memor
,, fui nocte nominis tui domine, & custodiui legem tuã.
Oportet enim fragilitatem humanam, cum semper, tum impensius in nocturno tempore memoriam facere dominici nominis: cum aut recordatione diuitiarum premitur, aut concupiscentiæ igne torquetur, & præcipuè hoc exorare, ut si legem Dei custodire cœpit, ne
,, ab eadem in aliquo diuellatur. Hæc mihi facta est,
,, quia iustificationes tuas exquisiui. Facta est mihi hæc lex consolatio & scandalum, ut diligentius iustifica-
,, tiones tuas scrutari ualerem. Portio mea domi-
,, ne, dixi custodire legem tuam. Portio à parte dicta est: illius enim partis sumus cuius uoluptatibus obedimus: unde merito portio piorum Deus dicitur, quia regni eius sunt pij & sancti. Dixi custodire legem tuam. Dixi, id est statui atque decreui. Fœlix qui portionem non habet aliam nisi dominum, qui honores, diuitias, cupiditates non amat, sed tantum-
,, modo Deum. Deprecatus sum faciem tuam in toto
,, corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum. Bene propheta deprecatur faciem Dei qui mundum cor se nouit habere. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Miserere mei secundum eloquium tuum. Per quod promisisti ut peccatorem in mortẽ non obrueres, sed misericorditer consolareris.
,, Quia cogitaui uias meas & conuerti pedes meos in
,, testimonia tua. Ordinem humanæ conuersationis exponit: prius est enim ut nosmet ipsos arguamus, & sic ad mandata domini migremus. Vias meas, id est actus humanos, sed ei omnino displicebant. Pedes suos conuertit ad testimonia domini gradienda, in quibus si

,, quis ambulat, firma habet uestigia. Paratus sum & ,, non sum turbatus, ut custodiã mãdata tua. Paratus sum ad prædicandum, non sum turbatus ad tribulationẽ sustinẽdã propter Christũ, ut custodiã mãdata tua. nõ me ,, conturbauerũt iniqua exprobrantiũ iacula. Funes ,, peccatorum circũplexi sunt me, & legem tuã non sum ,, oblitus. Cũ dicit funes, ostẽdit tot esse laqueos quot peccata committimus. Funes peccatorũ, nõ ab eo quòd sunt peccata, declinatum est, sed ab eo quòd sunt peccatores. Funes itaque peccatorum impedimenta sunt inimicorum, siue spiritalium, siue carnalium: quæ si implicẽt corpus, nõ implicẽt animã, ob quæ impedimẽta iste legis Dei nõ est oblitus, quia sermo Dei non est alligatus.

,, Media nocte surgebam ad confitẽdum tibi super iu ,, dicia iustificationis tuæ. Media nox profunda tribulatio est, quia non sic effugabatur ut surgere non ualeret. Surgebat autem ut confiteretur Deo iusto iudicio eius datam peccatoribus potestatem, qua sanctos persequerẽtur quos adiuuat gratia Dei, ut huiusmodi exercitia ,, facerent clariores. Particeps sum ego omnium ti- ,, mentium te, & custodientium mandata tua. Modo Ecclesia particeps est ad illos qui Deum timent timore sancto, & sua mandata implent: particeps est cum il- ,, lis in spe, fide, & charitate. Misericordia tua domi ,, ne plena est terra, iustificationes tuas doce me. Misericordiã fecit quando uenit nos redimere, inde est plena terra, inde est sancta Ecclesia. Iustificationes tuas doce me: hoc est, tua mandata, ut illa intelligam & prædi- ,, cem, & opere impleã. Bonitatẽ fecisti cũ seruo tuo domine, secundum uerbum tuum. Vox prophetæ in

persona Ecclesiæ. Bonitatem fecisti, quando in carne uenisti & nos redemisti: cũ seruo tuo, populo christiano: secundum uerbum tuum, uerbum patris filius est: secũdum uerbum tuũ, ut peccantes non in ira punires, sed
" misericordia consolareris. Bonitatẽ & disciplinam
" & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.
Docet ergo Deus bonitatẽ, inspirando charitatis desiderium: docet disciplinam, cum in tribulationibus patientiam dedit. Docet scientiam, cum salutarium mandatorũ ipse cognoscitur tributor, quia in mandatis tuis
" credidi, me uitam habere æternam. Priusquam hu-
" miliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodi-
" ui. Ita per gratiam tuam profuit experiri pœnam,
" ut adquirerem obedientiam. Bonus es tu domine, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas: quia nemo bonus nisi Deus solus: uerè uult autẽ facere iustificationes Dei, quando eas sine eius suauitate non uult
" discere. Multiplicata est super me iniquitas superbo-
" rum, ego autem in toto corde meo scrutabor mandata
" tua. Multiplicatam super se dicit persequentium iniquitatem, & ideo petit ne macularetur ab eis. Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua: ut quantum illi contendebant reducere, tantum iste uideretur
" mandatis dominicis adhærere. Coagulatum est si-
" cut lac cor eorum, ego uerò legem tuam meditatus sum.
Coagulatum, in bono & in malo ponitur, hic autem in malo ponitur, hoc est, superbia malorum: De qua superius dixit, quæ more lactis in crassiorẽ substantiã cõstricta est, sed istum non potuerunt à lege domini segre-
" gare, quia ipse pia sapientia superauit eos. Bonum

mihi quòd humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Bonum mihi quòd pœnam conuertisti mihi ad disciplinam, & humiliationem ad eruditionem: quia iustificationes tuas ita cupio noscere ut faciam. non enim est uera scientia in bonum, nisi ad hoc cognoscatur. Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti. Lex oris Dei Christus est, qui non uenit legem soluere, sed adimplere: quem præuidens propheta, super omnes thesauros concupiscit, qui non solum amicos diligi, sed etiam inimicos præcepit ignosci. Iod, id est principiũ. Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me, da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Magnum est enim ut se homo intelligat manu Dei factũ, plasmatumque, & ad eius imaginẽ esse compositũ: quod si agnouerit scientiam poscere debet ut mandata eius intelligat, & custodiat. Manus domini, uirtus & sapientia intelligendæ sunt: fecerunt, ad animam: plasmauerunt, ad corpus pertinet: Et quia anima preciosior est corpore, ideo prius posuit, fecerunt. Qui timent te, uidebunt me, & lætabuntur: quia in uerba tua supersperaui. Vox Ecclesiæ hæc est, ut illi qui dominum timent, uideant suũ intellectum, & lætitiam habeant: quia Ecclesia quando uidet alios mandata Dei obseruare, magnam lætitiam habet: postea in inuicem sic lætabuntur, & hic, & in futurũ: quia in uerbo spero, id est in Christo habeo spem. Cognoui domine quia æquitas iudicia tua, & in ueritate tua humiliasti me. Quod dicit cognouisse se iudicia Domini, illud significat ut hominem animi tumore peccantem humiliatum corrigat, & supplicantem sibi diuina misericordia reci-

piat. Quis enim dubitat summæ æquitatis esse iudiciū,
ut qui per superbiam deliquit, deuota humilitate pur=
» getur? Fiat nunc misericordia tua ut consoletur me,
» secundum eloquium tuum seruo tuo. Fiat ergo miseri=
cordia tua secundum promissionem tuā, in præsentibus
muneribus accipiat mortalis uita solatiū, & futura æter
» nitatis bona patienter expectet. Veniant mihi mise=
» rationes tuæ & uiuam, quia lex tua meditatio mea est.
Sufficienter expressum est quòd per misericordiam cō=
sequamur uitam æternam: illa autem meditatio beatos
facit, qui operibus sanctis cælorum regna conquirunt.
» Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fe
» cerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.
Confundantur quamuis sæuiant superbi, & iniquita=
tem operantur in sanctos: charitas tamen piorum non
refrigescit, & mandatorum Dei excitatio non desinit.
» Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testi=
» monia tua: hoc est, ut me docente cognoscentes ea, ad
te conuersi fiant: & qui nouerunt testimonia tua: quos
lectio quidem diuina imbuit, sed necdum opus salu=
» tis instruxit. Fiat cor meum immaculatum: hic cor
pro anima ponitur, ac si dicat, fiat anima mea sine
» peccato mortali: in tuis iustificationibus ut non confun
» dar: hoc est, ut non habeam confusionem æternam.
» Defecit in salutare tuum anima mea, & in uer=
bum tuum supersperaui. Iste defectus non fide se de=
fecisse significat, sed in tāta desiderij magnitudine se fati
gatum monstrat, ut ad defectum fœlicissimum perue=
niret in salutare, quod Hebraicè dicitur Iesus: &
in uerbum tuum, id est in unigenitum qui est uir=

„ tus Dei. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,
„ dicentes quando consolaberis me? Ecce rursus in ocu-
lis, sed utique interioribus laudabilis & fœlix ille defe
ctus non ueniens ex infirmitate animi, sed ex fortitudi-
ne desiderij in promissum Dei: hoc enim ait, in elo-
quium tuū: tam diu enim se dicit defectū pertulisse, do-
nec expectata incarnatio domini cordis aspectibus ap-
pareret: quando consolaberis me, id est, quando ueniet
„ quod promisisti: Quia factus sum sicut uter in pruina,
„ iustificationes tuas non sum oblitus. Superius peti-
uerat consolari, nunc causam reddit subueniendi.
Vter enim, corpus mortale significat: pruina, beneficium
cōuersationis ostendit. Sicut autem uter frigore glatia-
li contrahitur, sic carnis nostræ incentiua uitiorum af-
flictione pœnitentiæ tenuantur, ut iustificationum do-
„ mini non obliuiscantur. Quot sunt dies serui tui,
„ quando facies de persequentibus me iudicium? Sciens
sanctorum cœtus usque in finem seculi tentationibus dia
bolicis membra domini subiacere, interrogat quan-
do mundus iste finiretur, ut de persecutoribus, id
est, diabolorum ministris præparata ultio complea-
tur: & celeritatē futuri iudicij optabat, in quo iam bea
tis erit requies, & gaudium sine fine mansurum.
„ Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex
„ tua domine. Narrauerunt, fabulas uanarum opi-
nionum delectabilis eloquij arte compositas ab ini-
quis sibi dicit esse narratas, sed nihil se in eis utile re-
perisse, sicut in lege domini, in qua eum ueritas non uer
ba delectāt. Omnia mādata tua ueritas, iniqui perse
„ cuti sunt me, adiuua me. Cōtra hæreticorū fabulationes
„

iustum, & bonum mihi est semper hoc desiderare, & in hoc tuo præsidio delectari. Alioquin iustus non ero si defuerit mihi gratia tua, aut inflauerit me superbia.

„ Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mã-
„ datis tuis. Increpatio hæc intelligenda est, quam primi hominum genitores sua transgressione meruerũt, declinantes à mandato Dei per superbiam qua concupierunt non quod Deus diligendum præcepit, sed quod diabolus inuidendo persuasit. Omnis itaque superbus huic increpationi subiectus est, siue hæreditario merito, siue uoluntatis arbitrio. Superbi enim declinant à mandatis Dei. Aliud est quippe mandatum eius per infirmitatem uel ignorantiam non implere, aliud ab eis per superbiam declinare. Tunc omnes impij plenam accipient maledictionem cum audierint: Ite maledicti in
„ ignem æternum. Aufer à me opprobrium & contẽ-
„ ptum, quia testimonia tua exquisiui. Non otiose nec somnolenter, sed strenuè uigilantérque sancti testimonia diuina exquisierũt, ut talia paterentur: ut est præceptũ domini, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam &c. Sed hæc oratio pro persecutoribus funditur, non irrogando ultionem pœnæ, sed ut dum conuersi fuerint ad dominum martyribus tollatur opprobriũ,
„ quando & illi ipsam religionem coluerint. Etenim
„ sederunt principes & aduersum me loquebantur, ser-
„ uus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Quod in hoc uersiculo propheta in se loquitur, futurum in apostolis reliquísque martyribus uidet, qui multa coram regibus & præsidibus domino hoc etiam pronunciante perpessi sunt, qui licet sint diuersis pœ-

nis adfecti usque ad sectionem ceruicum, tamen sem-
,, per serui Dei se exercuerunt in iustificationibus. Nã
,, & testimonia tua meditatio mea est, & consiliũ meum
iustificationes tuæ sunt. Sic ergo exercebatur seruus
Christi, ut contra persequentes decertaret: consilium
persequentium principum fuit, inuentos martyres per-
dere. Consilium patientium martyrum fuit, inimicos
perditos inuenire. Reddebant illi mala pro bonis, isti
bona pro malis. Quid ergo mirum si isti occidendo de-
fecerunt, illi moriendo uiuificarunt? Daleth. Adhæ-
sit pauimento anima mea, uiuifica me secundum uer-
bum tuum. Corpori mortali animam coniunctam
intelligo, ideo ne delictum inualescat, à te peto uiui-
ficari, sciens quoniam concupiscentia carnis mortem
,, operatur. Vias meas enuntiaui & exaudisti me,
,, doce me iustificationes tuas. Vias uocat actus hu-
manos: sine dubio actui ipso uiæ nomen imponit.
Vias peccati mei confessus sum & remisisti, nunc do-
ctrinam indulge, qua me iustificationes tuas edoceas.
,, Viam iustificationum tuarum instrue me, & ex-
,, ercebor in mirabilibus tuis. Merito cohors sancta iu-
stificationum uiam intelligere quærebat, quæ uias suas,
id est peccata prodiderat: quia nisi illa damnemus, ad
istam peruenire non possumus. Instrue me ad intelle-
ctum, id est pertinentem ad beatam uitam, & ex-
ercebor in mirabilibus tuis. Vtique sensu & pru-
dentia, ut uetus testamentum ad spiritalẽ trahat intelle-
ctũ. Mirabilia uocat, ipsas quas superius uocat iustifica-
,, tiones. Dormitauit anima mea præ tædio, cõfirma me

" *in uerbis tuis.* In huius habitaculi mortalis statione præ
tædio imbecillitatis corporeæ cōfirma me in uerbis tuis,
ut ablato peccati somno instanter in his uigilem. Viā
iniquitatis amoue à me, & in lege tua miserere mei.
Ad illā contemplationem ueritatis euectus, petit quod
in isto seculo necessarium fuit, ut uia iniquitatis, hoc est
diaboli ab eius infestationibus tolleretur: Et in lege tua
miserere mei. Apud te enim lex hæc instituta est ut sem
" per miserearis. Viā ueritatis elegi, iudicia tua non
" sum oblitus. Viam ueritatis elegi ubi currerem, iudicia
tua non sum oblitus ut currerem: uiam ueritatis elegi
Christum filium Dei, quem præuidens uenturum in
mundum audio dicentem: Ego sum uia, ueritas, & ui-
ta. Iudicia tua non sum oblitus: illa iudicia quæ in Eu-
angelijs proferens ait: hoc est iudicium ut omnis qui
credit in filium hominis habeat uitam æternam.
" Adhæsi testimoniis tuis domine, noli me confundere.
Et quia his adhærens anteriorem facinorum indul
gentiam merui, quæso ne me patiaris de te ratione pecca
" ti confundi. Viam mandatorū tuorum cucurri, cū
" dilatasti cor meum. Cordis dilatatio ueritatis est di-
lectio, quòd Dei munere fit ut ei non timore pœnæ, sed
amore iustitiæ seruatur, cum charitas Dei diffunditur
in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est
nobis. Ideo ergo istam uiam mandatorum Dei cucur-
" rit, quia cor eius dominus dilatauit. Legem pone mi-
" hi domine uiam iustificationum tuarum, & exquiram
" eam semper. Hic iterum plebs procedit beata, in qua
sibi legem petit constitui acquisitam. Prius iam dixit,
Et in lege tua miserere mei, hoc est, in ueteri testamento.

Nunc autem nouam legem sibi poni, ueniente scilicet domino Christo in carne, ut christianorum fides firmaretur iugiter se dixit exquirere. Illud enim exquiritur quod magnis precibus postulatur indesinenter.

" Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & cu
" stodiam illam in toto corde meo. *Ecclesia rogat ut intelligat discretionem inter bonum & malum, inter uitam & mortem, inter literam & sensum.* Vt intelli-
" gam & prædicem, & opere impleam, & custodiam
" illam in toto corde meo, *id est, ex tota dilectione.* q̃ *pulchro ordine dixit!* Prius *petit ut lex ei poneretur, hoc est nouum testamentum: deinde ut legis ipsius intentionem cognoscere meruisset, quatenus eam tota in-*
" *tegritate cordis seruaret.* Deduc me in semita man-
" *datorum tuorum, quia ipsam uolui.* Semita *minor est quàm uia, hoc est arcta & angusta uia, hoc est altiora mandata quæ ducunt ad uitam.* Mandata *ista noui testamenti debemus accipere, ubi se perduci magnopere precabatur.* Ipsum *uolui, hoc est noui testamenti gratiam diuinam, per quam se ad cælorum regna no-*
" *uerat peruenire.* Inclina *cor meum in testimonia tua,*
" & non in auaritiam. *Dicit* Ecclesia, *id est, in humilitate, ut illud:* Discite *à me quia mitis sum & humilis corde:* Testimoniis *quippe suis agit nobiscum* Deus, *ut eũ gratis colamus: quod impedit auaritia, radix omnium malorum.* Ergo *non habeamus inclinatum cor in auaritiam, non colamus dominum nisi propter dominum,*
" *ut sui cultus ipse sit merces.* Auerte *oculos meos ne ui-*
" *deant uanitatem, in uia tua uiuifica me.* Auerte *oculos meos. id est sensus meos, ne uideant uanitatem, id est de-*

fectionē. Ac si dicat, in ista uanitate quod est defectio, non habeam oculos meos, id est sensus meos defixos, sed, inquit, in uia tua uiuifica me: hoc est in temetipsum
,, uel in tuis mandatis uiuifica me in anima. Statue
,, seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Stabile fit eloquium domini in corde nostro, cùm fit quod eodem iubetur eloquio: & auellitur, cum contrarium opus agitur. Petit ergo seruus Dei ut in eo confirmetur obedientia perseuerans, qua de statu suo nullo malæ actionis moueatur impulsu: quod per spiritum & timorem fit castum, quo cauetur ne offendatur charitas,
,, non quo metuitur ne damnetur impietas. Amputa
,, opprobrium quod suspicatus sum, quia iudicia tua iu-
,, cunda. In sententia ista maximum exemplum humanitatis exponitur. Multa enim in opprobrium cadūt aliter quàm habeat ueritas suspicando, quam culpam rogat à se amputari. Suspicio enim sæpißimè probatur incerta, quæ uiro non cōuenit christiano. Hæc ergo suspicio ducit ad opprobriū quod ex peccato nascitur. Meritò sibi iucundū domini dicebat esse decretū p qđ se &
,, requiē reperisse nouerat & coronā ppetuam. Ecce cō
,, cupiui mādata tua, in æquitate tua uiuifica me. Fecisti me, inquit, cupidū mandatorū tuorū, fac & efficacem. Adiuua ut faciā quod cōmendas, dona ipse quod mandas. Vnum est domine tuæ miserationis donum, ut eloquia sancta custodientes in tua æquitate uiuificemur. Hoc est, ut æqualem te patri & spiritui sancto
,, fateamur. Et ueniat super me misericordia tua do-
,, mine, salutare tuum secundum eloquium tuum. Ad sextam literam conuersatio sancta peruenit, in qua si-

bi postulat salutarem dominum debere concedi, qui est misericordia peccatorum, & uita fidelium, per quem salus gentibus uenit. Secundum eloquium tuum dixit, id est promissionem tuam quam per prophetas promisisti.
" Et respondebo exprobrātibus mihi uerbum, quia
" speraui in sermonibus tuis. Hæc nobis indicat absolutè sententia respondendum esse uiriliter aduersantibus, ne malignantiū præsumptio superior esse uideatur. Exprobrāt enim uerbum qui filiū dicūt esse minorem patre. quia speraui, constanter his respondebo qui uanam dicunt spem meam quā in te habeo, quia illorum spes
" inanis est. Et ne auferas de ore meo uerbum uerita-
" tis usquequaque, quia in iudiciis tuis supersperaui. Rogat ut confessionem ueritatis de eius ore nullæ pœnæ, nullus terror extorqueant: cum dicit usquequaque, significat uerbum ueritatis ad tempus aliquibus fuisse sublatū: ut Petro cōtigit, qui ante galli cantū ter dominū negauit: & ipse tamen illud peccatū fletibus deleuit, & sanguinis effusione mundauit. Quia in iudicijs tuis supersperaui. Iudicia enim domini erant ꝙ turbæ martyrū diuersis cruciatibus agebātur ad regna cælo-
" rū. Et custodiam legem tuam semper, in seculū &
" in seculū seculi. Iste & alij uersus usque ad finē literæ nō habēt deprecationē, sed narrationē. Supius enim petit ut acciperet, hic de pceptis gratias agit. Sēper omne tēpus uitæ præsentis ostendit: in seculo uerò, futurū seculū mōstrat. Hæc autē quā perpetuo custodire desiderat, charitas accipienda est, quia ipsa est plenitudo legis: & cessantibus cæteris mandatis sola permanet
" in æternum. Et ambulabam in latitudine, quia man

,, *data tua exquisiui.* Dilatatus enim *sum in custodia le-*
gis tuæ,quia mandata tua exquisiui. Diligenter ea per-
scrutans ad hoc exquisiui ut crederem & intelligerẽ.
,, Et *loquebar de testimonijs tuis in conspectu regũ,*
,, *& non confundebar.* Loquebar de testimonijs domi-
ni, quomodo petiuerat & acceperat, ut responderet
exprobrantibus sibi uerbum, quia firmitate robora-
tus ante regẽs seculi dicit se non esse confusum, sed ue-
,, *ritatem intrepidis sermonibus exercebat.* Et *medi-*
,, *tabor in mandatis tuis quæ dilexi nimis.* Hic *ostendit*
*frequẽtatæ meditationis ardorem.*Meditari *enim man*
data non poterit, nisi qui adsidua lectione percurre-
rit,quæ dilexi, inquit. Neglegere *enim nunquam potest*
homo quæ diligit:addit, nimis, supra quam nulla po-
,, *test dilectio reperiri.* Et *leuabo manus meas ad man*
,, *data tua quæ dilexi, & exercebor in iustificationibus*
,, *tuis.*Superiori *uersu dixit,meditabor in mandatis tuis:*
quod ad uirtutem respicit inspectiuam. Modo *autem*
dicit, leuabo manus meas: quod ad partem pertinet a-
ctualem. Leuare *enim manus, non quasi à recorda-*
tione exciderit admonet: & significat bonis operibus
occupari. qui in malis actionibus detinetur, non leuat
manus suas. Et *exercebor in tuis iustificationibus, ubi*
*meditabar.*Vbi *enim mentis est intentio, hic exerceba-*
tur, ubi quærebat operis frequentatione proficere.
,, Memento *uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem de-*
,, *disti.* Memento, *quod dicitur* Deo *memento, oran-*
tis desiderium,quo promissum adcelerari poscit, osten-
*ditur.*Memento *ergo, inquit, uerbi tui seruo tuo:hoc est*
imple promissum tuum in quo mihi spem dedisti, hoc

" est, in quo uerbo sperare me fecisti. Hæc me consola-
" ta est in humilitate mea, quia eloquium tuum uiuificauit
" me. Consolationem inter ærumnas seculi dedit spes futuræ uitæ in humilitate: qua sancta probatur humilitas omnia sustinere patienter: quia eloquium tuum uiuificabat me. Causam reddit quare humilitas eius fuerit consolata, quia spes consolationis uiuificat eum afflictum.

" Superbi iniquè agebant usquequaque, à lege autem
" tua nō declinaui. Superbi iniquè, superbos intelligi uult persecutores humilium, hoc est impios persecutores piorum, & ideo subiecit: A lege autem tua non declinaui: quia hoc eum facere eorum persecutio compellebat.

" Memor fui iudiciorum tuorum à seculo domine, &
" consolatus sum. Memor fui ex quo genus humanū sumpsit exordium. Memor fui iudiciorū tuorum: & quia probaui quòd omnes uiæ tuæ misericordia & ueritas, consolationem accepi, auxilio gratiæ tuæ consolatus sum. Intellexi per spiritum sanctum quòd tu uenturus
" eras in carne. Defectio animæ tenuit me pro peccato
" ribus derelinquentibus legem tuam. Vox Ecclesiæ affectum miserationis ostendit, ut doleat super præuaricationes iniquorum. Necesse est sanctum uirum alterius culpa contristet, dum animus pius saluos fieri uni-
" uersos desiderat. Cantabiles mihi erant iustifica-
" tiones tuæ in loco peregrinationis meæ. Cum dicitur cantabiles, significat psalmodiam cum magna delectatione peragendam. Cantus enim superreleuat labores, & aufert animo tædium. In loco incolatus mei, significat hunc mundum, ubi peregrinatur omnis qui in domino Christo deuotus est, expulso quidem Adam de

,, paradiso, in hac terra inclinatum gerimus. Memor
,, fui nocte nominis tui domine, & custodiui legem tuã.
Oportet enim fragilitatem humanam. cum semper, tum impensius in nocturno tempore memoriam facere dominici nominis: cum aut recordatione diuitiarum premitur, aut concupiscentiæ igne torquetur, & præcipuè hoc exorare, ut si legem Dei custodire cœpit, ne
,, ab eadem in aliquo diuellatur. Hæc mihi facta est,
,, quia iustificationes tuas exquisiui. Facta est mihi hæc lex consolatio & scandalum, ut diligentius iustifica-
,, tiones tuas scrutari ualerem. Portio mea domi-
,, ne, dixi custodire legem tuam. Portio à parte dicta est: illius enim partis sumus cuius uoluptatibus obedimus: unde merito portio piorum Deus dicitur, quia regni eius sunt pij & sancti. Dixi custodire legem tuam. Dixi, id est statui atque decreui. Fœlix qui portionem non habet aliam nisi dominum, qui honores, diuitias, cupiditates non amat, sed tantum-
,, modo Deum. Deprecatus sum faciem tuam in toto
,, corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.
Bene propheta deprecatur faciem Dei qui mundum cor se nouit habere. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Miserere mei secundum eloquium tuum. Per quod promisisti ut peccatorem in mortẽ non obrueres, sed misericorditer consolareris.
,, Quia cogitaui uias meas & conuerti pedes meos in
,, testimonia tua. Ordinem humanæ conuersationis exponit: prius est enim ut nosmet ipsos arguamus, & sic ad mandata domini migremus. Vias meas, id est actus humanos, sed ei omnino displicebant. Pedes suos conuertit ad testimonia domini gradienda, in quibus si

,, quis ambulat, firma habet uestigia. Paratus sum &
,, non sum turbatus, ut custodiã mãdata tua. Paratus sum
ad prædicandum, non sum turbatus ad tribulationẽ su
stinẽdã propter Christũ, ut custodiã mãdata tua. nõ me
,, conturbauerũt iniqua exprobrantiũ iacula. Funes
,, peccatorum circũplexi sunt me, & legem tuã non sum
,, oblitus. Cũ dicit funes, ostẽdit tot esse laqueos quot peccata committimus. Funes peccatorũ, nõ ab eo quòd sunt peccata, declinatum est, sed ab eo quòd sunt peccatores. Funes itaque peccatorum impedimenta sunt inimicorum, siue spiritalium, siue carnalium: quæ si implicẽt corpus, nõ implicẽt animã, ob quæ impedimẽta iste legis Dei nõ est oblitus, quia sermo Dei non est alligatus.
,, Media nocte surgebam ad confitẽdum tibi super iu
,, dicia iustificationis tuæ. Media nox profunda tribulatio est, quia non sic effugabatur ut surgere non ualeret. Surgebat autem ut confiteretur Deo iusto iudicio eius datam peccatoribus potestatem, qua sanctos persequerẽtur quos adiuuat gratia Dei, ut huiusmodi exercitia
,, fierent clariores. Particeps sum ego omnium ti-
,, mentium te, & custodientium mandata tua. Modo Ecclesia particeps est ad illos qui Deum timent timore sancto, & sua mandata implent: particeps est cum il-
,, lis in spe, fide, & charitate. Misericordia tua domi
,, ne plena est terra, iustificationes tuas doce me. Misericordiã fecit quando uenit nos redimere, inde est plena terra, inde est sancta Ecclesia. Iustificationes tuas doce me: hoc est, tua mandata, ut illa intelligam & prædi-
,, cem, & opere impleã. Bonitatẽ fecisti cũ seruo tuo domine, secundum uerbum tuum. Vox prophetæ in

mihi quòd humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Bonum mihi quòd pœnam conuertisti mihi ad disciplinam, & humiliationem ad eruditionem: quia iustificationes tuas ita cupio noscere ut faciam. non enim est uera scientia in bonum, nisi ad hoc cognoscatur. Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti. Lex oris Dei Christus est, qui non uenit legem soluere, sed adimplere: quem prauidens propheta, super omnes thesauros concupiscit, qui non solum amicos diligi, sed etiam inimicis præcepit ignosci. Iod, id est principiũ. Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me, da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Magnum est enim ut se homo intelligat manu Dei factũ, plasmatũmque, & ad eius imaginẽ esse compositũ: quod si agnouerit scientiam poscere debet ut mandata eius intelligat, & custodiat. Manus domini, uirtus & sapientia intelligendæ sunt: fecerunt, ad animam: plasmauerunt, ad corpus pertinet: Et quia anima preciosior est corpore, ideo prius posuit, fecerunt. Qui timent te, uidebunt me, & lætabuntur: quia in uerba tua supersperaui. Vox Ecclesiæ hæc est, ut illi qui dominum timent, uideant suũ intellectum, & lætitiam habeant: quia Ecclesia quando uidet alios mandata Dei obseruare, magnam lætitiam habet: postea in inuicem sic lætabuntur, & hic, & in futurũ: quia in uerbo spero, id est in Christo habeo spem. Cognoui domine quia æquitas iudicia tua, & in ueritate tua humiliasti me. Quod dicit cognouisse se iudicia Domini, illud significat ut hominem animi tumore peccantem humiliatum corrigat, & supplicantem sibi diuina misericordia regi-

piat. Quis enim dubitat summæ æquitatis esse iudiciũ, ut qui per superbiam deliquit, deuota humilitate purgetur! Fiat nunc misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo. Fiat ergo misericordia tua secundum promissionem tuã, in præsentibus muneribus accipiat mortalis uita solatiũ, & futura æternitatis bona patienter expectet. Veniant mihi miserationes tuæ & uiuam, quia lex tua meditatio mea est. Sufficienter expressum est quòd per misericordiam cõsequamur uitam æternam: illa autem meditatio beatos facit, qui operibus sanctis cælorum regna conquirunt.

Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis. Confundantur quamuis sæuiant superbi, & iniquitatem operantur in sanctos: charitas tamen piorum non refrigescit, & mandatorum Dei excitatio non desinit. Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua: hoc est, ut me docente cognoscentes ea, ad te conuersi fiant: & qui nouerunt testimonia tua: quos lectio quidem diuina imbuit, sed needum opus salutis instruxit. Fiat cor meum immaculatum: hic cor pro anima ponitur, ac si dicat, fiat anima mea sine peccato mortali: in tuis iustificationibus ut non confundar: hoc est, ut non habeam confusionem æternam.

Defecit in salutare tuum anima mea; & in uerbum tuum supersperaui. Iste defectus non fide se defecisse significat, sed in tãta desiderij magnitudine se fatigatum monstrat, ut ad defectum fœlicissimum perueniret in salutare, quod Hebraicè dicitur Iesus: & in uerbum tuum, id est in unigenitum qui est uir-

„ tus Dei. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,
„ dicentes quando consolaberis me? Ecce rursus in oculis, sed utique interioribus laudabilis & fœlix ille defectus non ueniens ex infirmitate animi, sed ex fortitudine desiderij in promissum Dei: hoc enim ait, in eloquium tuũ: tam diu enim se dicit defectũ pertulisse, donec expectata incarnatio domini cordis aspectibus appareret: quando consolaberis me, id est, quando ueniet
„ quod promisisti: Quia factus sum sicut uter in pruina,
„ iustificationes tuas non sum oblitus. Superius petiuerat consolari, nunc causam reddit subueniendi. Vter enim, corpus mortale significat: pruina, beneficium cõuersationis ostendit. Sicut autem uter frigore glatiali contrahitur, sic carnis nostræ incentiua uitiorum afflictione pœnitentiæ temuantur, ut iustificationum do-
„ mini non obliuiscantur. Quot sunt dies serui tui,
„ quando facies de persequentibus me iudicium? Sciens sanctorum cœtus usque in finem seculi tentationibus diabolicis membra domini subiacere, interrogat quando mundus iste finiretur, ut de persecutoribus, id est, diabolorum ministris præparata ultio compleatur: & celeritatẽ futuri iudicij optabat, in quo iam beatis erit requies, & gaudium sine fine mansurum.
„ Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex
„ tua domine. Narrauerunt, fabulas uanarum opinionum delectabilis eloquij arte compositas ab iniquis sibi dicit esse narratas, sed nihil se in eis utile reperisse, sicut in lege domini, in qua eum ueritas non uerba delectãt. Omnia mãdata tua ueritas, iniqui pse
„ cuti sunt me, adiuua me. Cõtra hæreticorũ fabulationes
„

dicit omnia mandata domini esse ueritatem. iniqui persecuti sunt, scilicet docendo peruersa, suadendo falsa: ergo adiuua me ut certem pro ueritate tua usque ad mor-
" tem. Paulominus consummauerunt me in terra, ego
" autem non dereliqui mandata tua. Valde me corporalia uitia in terram humiliassent, nisi custodissem
" mandata diuina. Secundum misericordiam tuam
" domine uiuifica me: in æternam uitam, quia iam non
" mihi uiuo, uiuit uerò in me Christus. Vt custodiam
" testimonia oris tui. Vel ea quæ in lege mandasti, uel
" illa quæ in Euangelijs protulisti. In æternum do-
" mine permanet uerbum tuum in cælo. Dicit uerbum domini permanere in cælo, id est in sanctis, quos de morte facit uiuere, & de tribulatione gaudere, siue in cælestibus uirtutibus, quæ eius semper insistunt mini-
" sterio. In seculũ seculi ueritas tua, fundasti terrã & p
" manet. Seculũ, legem & prophetas: seculi significat Euãgelia & apostolos, in quibus est ueritas quæ est Christus dominus: terrã autem hoc est humanam naturam (ex parte totũ significãs) in sanctis fundauit, ut in sua credulitate permaneant: quia nisi ipse fundasset non crederent, nec permanerent: fundasti terram, & per-
" manet. Ordinatione tua perseuerat dies, quo-
" niam omnia seruiunt tibi. Quoties singulari numero dies ponitur, uenturus ille sempiternus qui sine nocte est significatur: tunc illi omnia subiecta seruiunt: seruiunt & aduersarij, licet non sponte, dum damnati pœnas perennes suo iussu merito sustine-
" bunt. Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc for-
" te periissem in humilitate mea. Beata plebs mar-

tyrum in tanta tormentorum humiliatione afflicta, asserit se posse perire, nisi legis meditatio subueniret consolando, quæ dixit: Beati qui persecutionem patiuntur. Lex ista fides est, quæ per dilectionem operatur: in cuius meditatione permanens, per auxilium gratiæ tuæ promeretur, ut in tribulationum humilitate non „ pereat in æternum. In æternum non obliuiscar iusti- „ ficationes tuas, quia in ipsis uiuificasti me. Iustificationes dicit legales obseruationes sub umbra, quæ ueritatis indicio uenturæ perfectionis beneficium præstabant. Has ergo iustificationes nō debemus obliuisci, quæ nobis „ fidei & uitæ primordia præstiterunt. Tuus sum ego „ saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Ego tuus famulus, & tu Deus meus, à te posco saluari: quia uanitas non est mihi, nec sum inani gloriæ dedi- „ tus, sed iustificationibus tuis. Me expectauerunt pec- „ catores ut perderent me, testimonia tua intellexi. Longo me certamine aduersæ potestates impugnant, sed ego intelligens testimonia tua, consolationem recepi ex eis. „ Omnis consummationis uidi finem, latum mādatum „ tuum nimis. Consummationem dicit omnium uirtutum completiuam perfectionem, cuius finis est Christus, quem credendo præuidit esse uenturum, cuius mandati latitudinem miratur. In quo nimirum charitatem significat, quæ sua latitudine omnia mandata in se complectitur. nā cū omnia mandata finiētur, ipsa sola in æ- „ ternum manebit. Quomodo dilexi legem tuam do- „ mine! tota die meditatio mea est. Quomodo dilexi legem tuā! sic, inquit, dilexi legem fidei quæ per dilectionem operatur, ut tota die, id est toto tempore, meditatio

,, mea sit. Super inimicos meos prudẽtem me fecisti mã-
,, dato tuo, quia in æternũ mihi est. Inimici prophetæ
Iudæi sunt, qui spiritaliter nõ intelligũt: quibus pruden-
tiorẽ propheta se dicit, quia in his mandatis quæ in æ-
,, ternum seruat, uẽturum dominũ præuidet. Super oẽs
,, docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea
est. Quos superiori uersu inimicos dixit, hic doctores
appellat, magistros scilicet pharisæos designans, qui se
ad literã tenẽtes, spiritalem intelligẽtiã neglegebãt. Ta-
libus ergo doctoribus cohors euangelica melius intelligit:
quia prauitatibus eorũ repudiatis, sinceram doctrinam
domini per meditationem testimoniorum eius secundum
,, ueritatem intellectam accepit. Super seniores intelle-
,, xi, quia mãdata tua quæsiui. Melius utique populus
nouus intellexit, qui suscepit Christum eius mãdata per-
,, quirẽdo: q̃ Iudaicus, qui eũ mortificãdo occidit. Ab
,, omni uia mala prohibui pedes meos, ut custodiã uerba
tua. Ab omni uia mala, membrorum est hæc uox, nõ
capitis. Nõ enim ipse saluator corporis ullis cõcupiscẽtiis
pulsabatur, ut ei necesse esset pedes suos custodire. Sic
enim uerba Dei possumus custodire, si post malas no-
,, stras cõcupiscẽtias nõ eamus. A iudiciis tuis nõ decli
,, naui, quia tu legẽ posuisti mihi. Tu legẽ euangelij po-
suisti mihi: illa enim Mosaica lex pædagogus fuit, lex
euangelij libertas totius plenitudinis donauit effectum.
Merito ergo sanctus populus de hac lege gaudebat, quã
,, credendo susceperat. Quàm dulcia faucibus meis elo-
,, quia tua domine, super mel & fauum ori meo. Fau-
ces enim cordis archana significãt, ubi eloquia domini
spiritaliter intelliguntur & diliguntur: Mel, est aperta

,, doctrina: fauus, secreta. A mandatis tuis intellexi:
,, propterea odio habui omnem uiā iniquitatis. Necesse
,, est enim ut oderit iniquitatem amore iustitiæ. Lucer-
,, na pedibus meis uerbum tuum domine, & lumen semi-
tis meis. Si in huius seculi noctibus in nobis uerbi Dei luceat lumē, nō incidens pedes nostri in laqueos funium ac præcipitia fouearum, quæ manus artis diabolicæ in nostris offendiculis præparauit. & lumen semitis meis, ut hoc lumine præeunte, dum uitæ istius semitas gradimur, ad illam quæ uera uia est perducamur.
,, Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Iurauit autem appellauit iuramentum quod statuit per sacramentum: quia ita debet esse mens fixa in custodiendis iudiciis iustitiæ Dei, ut sit omnino pro iuratione quod
,, statuit. Humiliatus sum usquequaque domine, uiui-
,, fica me secundum uerbum tuum. Didicit humilitatem quam Christus docuit, qui mitis est & humilis corde. Ideo nunc deprecatur ut sicut ille post humilitatem formæ seruilis exaltatus est in gloriam Dei patris, ita & iste ab hac humilitate corporea in uitam transferatur
,, æternam. Voluntaria oris mei beneplacita fac domi-
,, ne, & iudicia tua doce me. Vox ecclesiæ, ac si dicit, uota mea quæ tibi offero beneplacita sint, id est, acceptabilia & delectabilia: Et iudicia tua doce me, hoc est
,, tua mandata, ut intelligam & impleam. Anima
,, mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum
,, oblitus. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, in cuius manu sumus & nos, & sermones nostri: & legē, inquit, tuā nō sum oblitus, tanquā ad nō obliuiscēdā Dei legem in manibus ipsius adiuuetur eius memoria.

„ Posuerunt peccatores laqueos mihi: quos laqueos? secus uiam positos, & si egressus fueris de uia, cadis in laqueos. quid sunt isti laquei, nisi retiacula diaboli, uel suggestiones dæmonis? uitia etiã & peccata possunt intel
„ ligi. Et in mãdatis tuis nõ erraui. Vox ecclesiæ, nõ
„ erraui à tuis mãdatis, sed consisto in operatione. Hæ
„ reditate acquisiui testimonia tua in æternũ, quoniã exul
„ tatio cordis mei sunt. Tua testimonia & tua præcepta hoc est mea hæreditas, in æternum, hic & in futuro: quia exultatio cordis mei sunt tua testimonia, hoc est, mea exultatio: quia ecclesia in mandatis Dei dele
„ ctatur & exultat. Inclinaui cor meum: non fui superbus, sed humilis: & ideo inclinaui cor meum ut te intelligerem, quia superbi non inclinant cor in humilita
„ tem. ad quid inclinaui cor meum? dicit ecclesia, ad fa
„ ciendas iustificationes tuas, hoc est mandata, in æternum propter retributionem uitæ æternæ ut illã mereas per
„ cipere. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Cum dixisset, iniquos odio habui, posuit & quare, addendo, & legem tuam dilexi: ut demonstraret non se in hominibus iniquis odisse naturam, quia homines sunt: sed iniquitatem, quia legis quã diligit inimici sunt.
„ Adiutor & susceptor meus es tu, & in uerbum tuũ
„ superSperaui. Adiutor in præsenti, susceptor in futuro: & in uerbo tuo sperabo, hoc est in Christo, quia
„ uerbum patris filius est. Declinate à me maligni, &
„ scrutabor mandata Dei mei. Maligni hic sunt dæmones, uitia & peccata, uel aduersariæ potestates: quia dũ ipsi tendiculas præparãt & suggestiones pessimas tibi non potes scrutari mandata Dei tui, ut illa bene intelli

gas. Sed si uolueris pœnitentiam agere, segregare te ha-
„ bes ab illorum consortio. Suscipe me secundum elo-
„ quium tuum & uiuam, & non confundas me ab expe
„ ctatione mea. Vox ecclesiæ optantis ut ueniat spon-
sus, & suscipiat eam sponsam sibi, sicut promisit in elo
quio prophetarum: & uiuam in iustitia, quia modo
mortuus sum in peccatis: & non confundas me, si ille
„ quem expecto & promisisti ueniat mihi. Adiuua me:
„ auxilium rogat, & saluus ero, in anima, si ueneris &
„ me adiuues, & meditabor in tuis iustificationibus sem
„ per, sine fine. Spreuisti omnes discedentes à iustitiis
„ tuis, quia iniusta cogitatio eorum est. Declaratum est
cur assumebatur iustificationum domini frequens medi-
tatio, quoniam spernuntur à domino, qui ab eius iustifi-
catione discedunt. Iustificatio est peccatorum pura con-
fessio domino: qui tali se remedio saluari despiciunt, in-
„ iusta cogitatio eorum est. Præuaricatores reputaui o-
„ mnes peccatores terræ, ideo dilexi omnia testimonia tua.

Hæc enim dicit propheta in persona ecclesiæ, quia
ante aduentum Christi præuaricantes erant, quia sub
debito tenebantur propter præuaricationem primi ho-
minis Adæ. Non omnes peccatores præuaricatores, sed
omnes præuaricatores peccatores. Ideo dilexi testimo-
„ nia tua, ne in his præuaricator appareã. Infige timore
„ tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Metuo fu
turum iudicium, ideo cruci tuæ configens omnes concu-
„ piscentias carnis, tibi conuiuere, tibi uiuere merear. Fe-
„ ci iudicium & iustitiam, non tradas me persequentibus
me. Facit autem iudicium quisquis contra se iudicat,
& prauitates suas ante examen domini iusta execrá-

tione cōdēnat: & iustitiā facimus, quādo p iustitiā nos iudicamus, quādo delictorū nostrorū iudices sumus. Petit uerò ne tradatur peccatoribus q peccata dānauit. persequētes autem sunt diabolus cum ministris suis: qui nos indefessa malitia persequūtur. Hinc etiā quotidie rogamus admoniti, dicentes: Ne inducas nos in tentationem.
» Suscipe seruū tuū in bonum, non calūnientur me su-
» perbi. Suscipe me. i. ne illi impellāt ut cadā in malū, tu suscipe in bonū: illi calūniantur in superbia, tu in humilitate defende, ut nō mihi noceāt calumniæ superbo-
» rum. Oculi mei defecerunt in salutare tuū, & in elo
» quium iustitiæ tuæ. In eloquium iustitiæ Dei: hoc est, in promißionem Christi defecisse dixit oculos cordis sui: nō quia intentio desiderantis animi uicta succubuerit, sed quia in expectationem gratiæ Dei toto mentis ardore trāsierit. Iustitia autem quā dixit, Christus est,
» qui iustos facit. Fac cum seruo tuo secundū misericor
» diam tuam, ut ipse uota mea perficiat: Et iustificatio-
» nes tuas doce me, ut eorū humilitatem, sicut sæpius opta-
» ui, poßim aduertere. Seruus tuus sum ego, da mihi in-
» tellectū ut sciā testimonia tua. A te ea discam & non ab hæreticis, uel Iudæis. Quia nullum mihi tempus est
» ab expectatione tuæ seruitutis otiosum. Tēpus bene-
» faciēdi domine, dißipauerunt legem tuā. Iudæi utique qui eam spiritaliter nō intellexerunt, sed ueniet tempus quando occulta illius dominus faciet prædicatione euā-
» gelica reserari. Ideo dilexi mandata tua super aurū
» & topazion. Sicut enim aurum cunctorum metallorum præcellit pretium, ita topazius omniū gemmarū in se cōtinens pulchritudines, omnium uincit honores.

Ideo propheta super hæc omnia Dei mandata diligit, quia in his aduentũ domini, qui mundum redempturus
„ est, prænunciatum intelligit. Propterea ad omnia mã
„ data dirigebar, omnẽ uiam iniquam odio habui. Qui super aurũ & gemmas legem domini diligebat, necesse fuit ut ad omnia mãdata eius rectißimus appareret, & odisset peruersam uiam, quia meruit amare rectißimã. Iniqua siquidem uia est quæ nos perducit ad uitia, recta autem uirtutum quæ nobis indulgentiam & salu-
„ tem tribuit. Mirabilia testimonia tua domine, ideo
„ scrutata est ea anima mea. Vide in his aliud agi, a-
„ liud figurari. Ideoq; quod mihi mirum est diligentius perscrutor, ut cuncta te declarante cognoscam. De-
„ claratio sermonum tuorũ illuminat me, & intellectum
„ dat paruulis. Sancta plebs dicit se illuminatam declaratione sermonũ domini, utique prophetarũ domini, qui diu abscõditi sunt: ut est, ecce uirgo cõcipiet &c. Et uidebit omnis caro salutare dei &c. Nũc ꝑ aduẽtũ domini illis sermonibus actis & cõpletis illuminata cernit omnia, uerbũ carnẽ factũ, uirgnẽ peperisse, mutos loquutos esse, hæc autẽ omnia paruulis .i. humilibus præ-
„ stant purũ intellectum. Os meum aperui & attra-
„ xi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Os meum aperui, confitendo sine te nil me posse, & attraxi in me spiritum gratiæ, per quem confido implere
„ me posse quæ desiderabã, id est, mandata tua. Aspi-
„ ce in me & miserere mei, secundum iudicium dili-
„ gentium nomen tuum. id est, secundum iudicium quod in eos fecisti, qui diligunt nomen tuum. quoniam ut diligeremus te, prius dilexisti nos. Iudicium

quippe est domini, ut nomen suum palàm faciat & mi-
,, *sericordiam largiatur.* Gressus meos dirige secundum
,, *eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniusti-*
tia. Gressus quid nisi Dei praecepta quae ponit iuben-
do, impleri faciat adiuuando: gressus significat motus a-
nimae: hos sancta cohors, secundum eloquium domini
postulat dirigi, qui rectum iter monstrant & mandant
ingredi, ut non dominetur in eis iniustitia. Sciuit enim
quòd in hac uita penitus excludi non poterat, cuius ui-
,, delicet dominium sibimet subdere precatur. *Redime*
,, *me à calūniis hominū, ut custodiam mādata tua.* Tā-
ge infuso spiritu tuo, ne me calumniae hominum terrori-
bus uincant, & à tuis mandatis ad sua mala facienda
traducant. Si enim hoc mecum egeris, inter ipsas calum-
,, *nias custodiam mandata tua.* Faciem, inquit, tuam
,, *illumina super seruum tuum:* id est, tuam manifesta
,, *subueniendo & opitulando praesentiam, & doce me*
,, *iustificationes tuas,* doce utiq; ut faciā. *Exitus aquarū*
,, *deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuā.*

Veram semper agit poenitentiam hic spiritus, & nō cessat fluentis lachrymarum antiqua delicta diluere, ut tu intelligas nisi ueram poenitentiam egeris, tibi facile non dimitti quae gesseris. Vera est enim poenitentia iugi-ter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare.

,, *Iustus es domine, & rectum iudicium tuum. Mā-*
,, *dasti iustitiam testimonia tua, & ueritatem tuā nimis.*

Magna est enim in utroque iustitia Dei, rectumq; iu-
dicium, quo & peccatori poena decernitur, & poeni-
tenti iustificatio non negatur: Nimis, ad utrunque perti-
,, net, siue ad iustitiam, siue ad ueritatem. *Tabescere*

» me fecit Zelus domus tuæ, quia obliti sunt uerba tua inimici mei. Zelus iste amoris est, non laboris. Sancta enim æmulatione inimicos suos uult esse correctos, dolēs » & tabescens quòd obliti sint uerborum Dei. Ignitū » eloquium tuum uehemēter, & seruus tuus dilexit illud.

Quia sicut peccatū cōsumit, ita peccantem si conuertatur illuminat iste ignis, id est sermo Christi. De quo dicit, ignem ueni mittere in terrā, quid autē uolo nisi ut ardeat? Hunc ignem dicit se dilexisse, quia uitā cōfert & » honorem remediūq; generi humano. Adulescentior » sum ego & cōtemptus, iustificationes tuas non sum obli» tus. Bene hic duorum populorū intelligitur significatio: quia iunior populus cōtēptus est à maiore, qui tamē » Dei gratia donāte, mādata eius nō est oblitus. Iusti» tia tua iustitia in æternum, & lex tua ueritas. Iustitia domini manet in æternū, & qui custodit eius ueritatem æterna fœlicitate gaudebit. Hanc populus Christianus intellexit, & ideo ueritate completus est, quæ est Christus dominus, qui dixit, Ego sum uia ueritas & ui» ta. Tribulatio & angustia inuenerunt me, manda» ta tua meditatio mea est. Sæuitia inimicorum infert huic iuniori tribulationem, sed non amittit charitatem. Meditatio enim ipsius mandata sunt Dei: ex qui» bus his qui eum oderunt dilectionem rependet. Aequi» tas testimonia tua in æternum, intellectū da mihi & ui» uam. Pulchrè post tribulationes & angustias, quæ tēporalia sunt, posita est æquitas in æternum esse mandatum Dei, ut tali spe unusquisque contemneret quæ temporalia esse sentiret. Da mihi intellectum utique ut mundi istius pericula transitura & temporanea intel-

» ligā: uiuifica me, ſpe ſcilicet futuræ retributionis. Cla
» maui in toto corde meo, exaudi me domine, iuſtificatio-
» nes tuas requiram. Hunc clamorem non corporeæ uocis, ſed mentis ſpiritalis eſſe, ſæpe memorauimus, per quem iuſti à Deo exaudiuntur: qui præcipuè eorum pium pandit affectum. iuſtificationes autem dicit, non ſeculi diuitias ſe exquirere: neque ad noſcendas tantum,
» ſed ad implendas eas. Clamaui ad te ſaluū me fac, ut
» cuſtodiam mandata tua. Nunc demonſtrat clamorem ſuperius ad Deū effuſum, hoc eſt, ut animā ſalua fidei ratione roboraret, & corpori præſtaret ſanitatē, reuera utique ut domini mandata cuſtodire poſſit.
» Præueni in maturitate & clamaui, in uerba tua ſuper-
» ſperaui. Immaturitas itaque nocturnum tempus eſt, quod nō eſt maturū, id eſt opportunū, ut agant aliquid uigilando, quod etiam uulgo dici ſolet hora importuna. uetera uitia pudicitia iuuenili præuenit, qui per maturitatem uiuacis animi nunquā ſpem ſuam à uerbis Dei
» remouet. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, ut
» meditarer eloquia tua. Non eum lux ſoporatum reperit, ſed uigilantem ſtrenuè & circa diuina eloquia o-
» culorū ſpiritaliū intētione meditātem. Vocē meam ex-
» audi domine ſecūdū miſericordiā tuā, et ſecūdū iudiciū
» tuū uiuifica me. Definit in nullo homine eſſe præſumēdū niſi in ſola dei pietate, quæ ex miſeris beatos facit, ex captiuis liberos, ex mortuis uiuos: ſecūdū iudiciū tuum, quo ſupplicātibus paras. Viuificari enim nō poteſt, niſi q
» in ſe propriā nō habet uitā. Appropinquauerūt per-
» ſequētes me iniquitati, à lege autem tua lōgè facti ſunt.
Tūc appropinquāt perſequētes, quādo uſq; ad carnē

trucidandã, perimẽdam ue perueniũt: sed quãto uicinio res sunt ꝑsequẽtes isti, tanto lõgiores sunt à lege iustitiæ.
» Prope es tu domine, & oẽs uiæ tuæ ueritas. Cõtra illã proximitatẽ persecutionis, uicinitatẽ domini sibi dicit remediũ, unde salutis auxiliũ nouerat uẽturum, non itineris loco, sed per ueritatẽ mãdatorũ dei cordibus san
» ctorũ illapsam. Initio cognoui de testimoniis tuis, quia
» in æternum fundasti ea. Quæ sunt ista testimonia, nisi quibus testatus est deus daturũ se regnũ filiis nostris sempiternum? & ideo ipsa testimonia in æternũ fundata: quoniã id quod promisit æternũ est: quoniã fundamẽtum promissionis est Christus in quo huius spei testimonia uera sunt, quæ hic ab initio cognouisse se dicit, quia uerbis ecclesiæ loquitur, quæ ab initio generis humani
» exorta nullis generationibus defuit. Vide humilitatem
» meã & eripe me, quia legẽ tuã nõ sum oblitus. Quod hic uide ait, ad martyres ꝑtinet, quorũ corpus affligitur ut uilitas pecudũ. sequitur eripe me: unde scilicet nisi de pœnarũ urgẽtiũ necessitate, & de periculo mortis? Legẽ uerò hic illã sentẽtiam dicit, quæ ait: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Hãc
» se dicit non oblitũ usq; in finẽ uitæ. Iudica iudicium
» meũ & redime me, ꝑpter eloquiũ tuũ uiuifica me. Iudicaui ego nihil me scire nisi Iesum Christũ, qui ad redẽptionẽ mũdi uenire ꝑmissus est: iuxta hoc ergo iudiciũ ego à te uiuificer in eloquiis tuis: redime me, quẽ redimere nõ poteras nisi credẽtẽ: ꝑpter eloquiũ tuũ uiuifica me, illud scilicet eloquiũ ubi promittit, ꝗ credit in me, nõ mo
» rietur in æternũ. Lõgè est à peccatoribus salus, q̃a iu-
» stificationes tuas nõ exquisierũt. Hoc specialiter intelli-

sti psecuti sunt, nullã causam persecutionis habẽtes, cum eos christiani in nullo læderẽt, & ipsi christianis negatione ueritatis extorquere non possent. Habuerunt ergo uerba minãtia, intulerũt sæua supplicia: sed ipsi martyres uerbi domini meminerant, Nolite timere eos q occi-
" dũt corpus. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui
" inuenit spolia multa. Martyres quanuis humili sorte morerẽtur, inueniebãt spolia multa, quãdo præmia diuina recipiebãt: ipsos quoque psecutores cõuersos ad dominũ gaudebãt: ut ipsi magis fierẽt spolia, qui uitas adimuerãt innocẽtiũ. & ideo lætari se dicit in eloquiis domini. i. in admonitionibus sacris, sicut uictor prædã ac-
" cipiens. Iniquitatẽ odio habui & abominatus sum,
" legẽ autẽ tuã dilexi. Mẽte contuendũ est quod amor est bonarũ malarum ue rerũ, ideo cõprobauit quomodo animus noster, si iniquitatẽ reciperet, nequaq se legi dominicæ sub integritate cõiungeret. Nõ dicit hominem iniquũ, sed iniqtatẽ se dicit odisse, & (quod fas est) eã abominatũ fuisse, qp à lege sit aliena, seq; legẽ domini pfecta uolũtate diligere. qui sunt qui diligũt dominũ, nisi
" q oderunt iniquitates! Septies in die laudẽ dixi tibi,
" super iudicia iustitiæ tuæ. Si ad literã hũc numerum uelimus aduertere, septem illas significat uoces, quibus se monachorum pia deuotio consolatur: id est matutinũ, tertia, sexta, nona, lucernaria, completorium, nocturnum. Si uerò spiritaliter intendas, continuationem magis dictam sapienter aduertis: ut est illud, benedicam dominum in omni tempore. Septies Deum per diẽ laudat, quia mens eius in pleno splendore perdurans, ad illum septimum diẽ, id est, sabbatorum sabbatũ qui

» est requies æterna festinat. Pax multa diligentibus le-
» gem tuam domine, & non est illis scãdalũ. Pax multa
mentis puritas, & fidei copia declaratur, quæ cõtra ui-
tia decenter opponimus: nã deum falso amore diligit qui
» scandalizatur in fratrem. Expectabã salutare tuum
» domine, & mãdata tua dilexi. Iesum dominum o-
mnium salutare expectamus, & ea quæ in lege & p-
phetis mãdata fuerũt fecĩ. spes præmij dilectionem gene
» rat mãdati. Custodiuit anima mea testimonia tua, &
» dilexit ea uehemẽter. Custodiuit, ad tolerãtiam mar-
tyrij pertinet: dilexit uerò, ad charitatẽ tormẽtis omni-
bus fortiorem: & ipsa dilectio uehemẽter augenda est,
» quia totius amicitiæ ibi explicatur charitas. Seruaui
» mandata tua & testimonia tua, quia omnes uiæ meæ in
» conspectu tuo domine. Seruat autẽ præcepta & testi-
monia, qui uias dei incedit, nec quicquam in actu uel co
gitatu agit quod diuina contemplatione habeatur indi-
» gnum. Appropinquet oratio mea in cõspectu tuo do
» mine, iuxta eloquium tuũ da mihi intellectũ. Proximã
tibi fieri orationẽ meã deprecor domine, ut à te intellectũ
» capiẽs, nil aliud nisi quod oportet exorẽ. Intret oratio
» mea in cõspectu tuo domine, secũdum eloquiũ tuũ eripe
me. Gradatim ascẽdit sancta petitio nostra: qui ante
dixit appropinquet, nũc dicit intret: prius fuerat ut ap-
propinquaret, deinde ut in conspectu domini intrare
posset. & superius dixit secundũ eloquium tuum eripe
me, ut & ibi superna uideat quæ desiderat, & hic æ-
» ternæ cõcupiscentiæ labe purgetur. Eructabunt labia
» mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas. Si
per puram consciẽtiam reserata fuerint à te labia mea,

tunc dignum laudationis proferent hymnum: & illum scilicet hymnũ, quem à tuis iustificationibus imbutus edo
» cear. Pronunciabit lingua mea eloquium tuũ, quia o-
» mnia mãdata tua æquitas. Nihil est enim aliud in e-
loquiis tuis domine nisi pax, nisi æquitas, nisi uita: hoc corde credã, hoc labiis eloquar, hoc linguã pronũtiabo.
» Fiat manus tua ut saluet me, quoniã mãdata tua ele-
» gi. Cum dicit, fiat manus tua, designat dominũ saluatorẽ, qui factus ex semine Dauid secundũ carnẽ, per quem facta sunt uniuersa & reguntur. Manũ enim hic, dexterã debemus accipere. Postulat autẽ uenire saluatorẽ, ꝑ quem se nouerat saluãdum. quod autem dicit, elegi mãdata tua, omnia se pericula, amore domini postposuisse
» testatur. Cõcupiui salutare tuum domine, & lex tua
» meditatio mea est. Ipsum uidere cõcupiueram, quem de utero uirginali illis adhuc tẽporibus credebã esse uẽturũ: & ut sibi hãc sciẽtiã de scripturis diuinis peruenisse demõstraret, sequitur: & lex tua meditatio mea est. In prophetis enim cõcupiuerat Christũ dominum nascitu-
» rũ, de quo lex & prophetæ loquebãtur. Viuet ani-
» ma mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabũt me.
Ad ipsum loquitur quem desiderat intueri, promittens animã suã in æternum uiuere, quam salubriter nouerat credidisse. Laudabit te, cantico scilicet nouo per fidẽ purã. Iudicia autẽ dicit quæ famulis suis dominus dicturum se promittit, ut est, uenite benedicti. Er-
» raui sicut ouis quæ periit: quære seruum tuum domine,
» quia mandata tua non sum oblitus. Vna ouis, est congregatio sanctorũ & fidelium: & unus pastor dominus Christus eorum. Et respice quàm infimæ rei

comparati sunt homines, quando Christi gratiam deserunt, oui uidelicet erranti quæ pericula patitur luporũ: & bene dictum est, quæ perierat, ut cognosceres misericordiam domini fuisse repertam in gloria cũ æterno patre & spiritu sancto in secula seculorum.

Explicit de psalmo centesimo decimooctauo.

Incipit canticum graduum.

GRadus sunt ascendentium uel descẽdẽtium: sed hi gradus xij. ascendentium sunt: quem numerũ, id est xij. si à primo usq; ad ultimũ cõputes, sunt cxx. Super quẽ numerum spiritus sanctus in cœnaculo .i. loco ascẽsionis uenit, ut nobis mõstraret per hos xij. gradus ad summæ perfectionis altitudinẽ ascendendũ esse. Ideo Deus de cœlo descendit ad nos in terrã, ut nos de terra ascẽdamus in cœlũ. Ideo ille descẽdit in uallem lachrymarum nostrarum, ut nos ascendamus in beatitudinem lætitiæ illius. Sed audiamus unde iste qui hos psalmos nobis ad salutem decantauit, initium ascendendi inchoarit, uel quo modo nos ascendere uoluerit. Siquidem primus gradus ascensionis nostræ est humilitas: ut intelligamus nos peccatores, & ad dei
» gratiam nobis conuolandũ esse, ideo ait: Ad dominũ
» cũ tribularer clamaui, & exaudiuit me. Tribulatio est hæc uita, ex qua qui humiliter ad deũ clamãt (sicut publicanus, qui ait: Deus propicius esto mihi peccatori) exaudiuntur: sed uideamus quid iste pœnitens clamat.
» Domine libera me à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

Labia iniqua sunt, quæ nos suggerendo ad iniquitatē solicitare nituntur. Lingua dolosa est, quæ nos auertere uult de uia iustitiæ: illa nos ad peccandum suggerunt, ista nos à benefaciēdo retrahit. Sed consideremus quid
" nobis ad has preces respondeat dominus. Quid de-
" tur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Ecce quid tibi dabitur ad respondendum linguæ dolosæ, quæ solet non cōsulendo tibi, sed subuertendo te, dicere: non potes seculum dimittere, non potes tam ar-
" ctam & tam angustam portam ingredi. Sagittæ po
" tentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. Id est quod in Euangelio dicitur, apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt. Sagittæ potentis uerba Dei sunt, quæ transfigunt corda nostra ad contemnendum seculum, & ad amandum Deum: ex quibus sagittis amor excitatur, non interitus comparatur: cum carbonibus desolatoriis, id est uastatoriis. Sed si parum est uerbis sagittare, sufficiat exemplis demonstrare. qui fuerant peccatis nigri & frigidi iterum charitate Dei accensi, uastauerunt & destruxerunt opera diaboli in cordibus suis, ut præpararent habitationē Deo in semetipsis, & post multa peccata multum dilexerūt Deum: Ideo multum dimittetur eis. Sequitur uerò:
" Heu me quia incolatus meus prolongatus est, habita-
" ui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima
" mea. Ecce iste à lingua dolosa liberatus, uerbo Dei sagittatus, exemplis multorum roboratus, quid proficiat, quò ue ascēdere quærat, uideamus. Heu me, inquit, ꝙ incolatus meus prolongatus est: Vox dolentis est & miseriam plangentis, quòd diu peregrinatione huius mor-

talitatis incolatus eius prolongetur. Incola uerò est, qui terram alienam colit. Vnde iste se plangit, & ad patriam suspirans redire addidit: habitaui cum habitantibus Cedar. Cedar tenebræ interpretātur. Significat autē peccatores, inter quos in hoc seculo iusti peregrinātur necdum extremo iudicij uentilabro area, id est Ecclesia purgata & segregata: unde iste desiderans ascendere ait: Multum incola fuit anima mea: corpus locis, & anima affectibus peregrinatur: unde iste sagitta charitatis uulneratus, toto desiderio ad cæleste anhelat patriā.
» Sequitur: Cum his qui oderunt pacem, eram pacifi-
» cus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Qui sunt qui oderūt pacem, nisi qui scindunt unitatem Ecclesiæ, uolentes doctores ueritatis uideri, cū sint magistri erroris: dū loquebar illis, impugnabant me gratis. Qui impugnare contēdunt doctores Ecclesiasticæ fidei, & hoc gratis: qui illos corrigere quærunt, & unitatem sanctæ Ecclesiæ coniungere. Primus gradus ascensionis nostræ humilitatis contribulatio: secundus est fides. Et sciēdum est quòd nihil aliud sunt hi gradus ascensionis nostræ, nisi salutis nostræ profectus, ideo in his canticis docemur ascendere, sed ascēdere in corde, in affectu bono in fide, & spe, & charitate, & in desiderio ꝑpetuitatis, & uitæ æternæ. Vnde in hoc sequente psalmo di-
» xit: Leuaui oculos meos ad montes, unde ueniet auxi-
» lium mihi. Montes isti sancti sunt in altitudine positi, claritate illuminati: sed ab illo qui est lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Vnde consequenter per fidem intellexit iste ascensor ad hunc montem, qui est super uerticem montium eleua-

tus, auxilium sibi esse petendum, sperandum, accipien-
» dúmque: ideo ait: Auxiliũ meũ à domino., qui fecit
» cælum & terram. Et subsecutus adiunxit, loquens ad
illum montem à quo sibi unicum sperauit auxilium.
» Non des in commotionem pedem meum, neque dor-
» mitet qui custodit te: Fac firmum stare pedem meum in
ascẽsiones salutis meæ, in humilitatis, uel rectæ fidei gra
du. Ad proficiendum charitas pedem mouet. Recte
ergo iste audiens ut ascendat, & non cadat, ut incola
in ualle plorationis proficiat; non in timore superbiæ
deficiat, ait domino: ne des in cõmotionem pedem meũ.
& Deus ait illi: neque dormitet qui custodit te: crede in
eum qui nunquã dormitat. Quis est ille qui nũquam
dormitat, nisi ille de quo apostolus ait: Mors illi ultra
» non dominabitur? Ideo consequenter addidit, Ecce
» non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Esto
Israel, id est uir uidens Deum in fide, & charitate, &
nũquã illius dormiet gratia à custodia tua: & quasi iste
interrogaret se, quis est qui non dormitat? dictum est ei:
» Dominus custodit te: & quomodo custodiet te? Do
» minus protectio tua super manũ dexteræ tuæ. Manus po
testatẽ, dextera æternã fœlicitatẽ significat. Dominus
protectio tua super manũ dexteræ tuæ: id est, si credi-
deris in eũ, proteget te, ut potestatem habeas in dextera
parte stare æterni iudicij, & audire desiderabilem sen
tentiam: uenite benedicti patris mei, percipite regnũ, &
reliqua. Adhuc quasi quærẽt i respõdetur: in quo custo-
» diet eũ dominus? Per diẽ Sol nõ uret te, neque Luna ꝑ
» noctẽ. Custodiet te, id est in fide recta seruabit te, siue in
æternis, siue in tẽporalibus, siue in fide sanctæ trinitatis,
quæ hic Solis nomine designatur, siue in fide sanctæ Ec-

clesiæ, quæ hic Lunæ nomine demonstratur: ut nõ erret uel scandalizetur fides tua. nã motio scandalũ significat. Quisquis igitur errat in ipsa substãtia ueritatis, à sole uritur: & per diem uritur, quia in ipsa sapientia errat. Quisquis in Ecclesia & carne Christi (qui est caput Ecclesiæ) non scadalizatur, à Luna non uritur. Per diẽ ergo Sol non uret te, neque Luna per noctem.
„ quare? quia Dominus custodit te ab omni malo, custo-
„ diat animam tuam dominus: ab scandalis in Sole, & ab scandalis in Luna. Ab omni malo te custodit, id est animam tuam ab omni infidelitate, ut ipsa nõ cedat in-
„ fidelibus, non frãgatur tribulationibus. Dominus cu-
„ stodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & usque in seculum. Quando tentamur, intramus: quãdo uincimus, à tentatione eximus: custodiat ergo nos intrantes ad fidem; custodiat nos exeuntes ad præmia: & hoc in seculum ubi sancti regnaturi sunt cum Christo. Peruenit itaque uir iste ad tertium ascensionis gradum, id est in desiderium cælestis Hierusalem, ad quã spe ascendere se gaudebat, licet adhuc hic in terrenis la-
„ boraret: ideo ait, Lætatus sum in his quæ dicta
„ sunt mihi, in domum domini ibimus: Lætatus sum in
„ prophetis, lætatus sum in apostolis, imò & in omnibus sanctis, qui mihi dicunt, in domum domini ibimus: qui dicunt, currite, festinate in domum domini, id est
„ in cælestẽ Hierusalem properate. Stantes erant pe-
„ des nostri in atriis tuis Hierusalem. Stantes, id est permanentes: pedes nostri, id est præmia bonorum operum: in atriis tuis Hierusalem, id est in cælestibus habitationibus. Atria dicit plurali numero, ipsa ueritate

dicente, In domo patris mei multæ ſunt manſiones: quæ-
ſi iſte amator quærat quæ ſit iſta Hieruſalem, dictum
„ eſt ei, Hieruſalem quæ ædificatur ut ciuitas, cuius par
„ ticipatio eius in idipſum. Hieruſalem quæ ex uiuis la-
pidibus conſtruitur: quæ ædificatur ut ciuitas, non ter-
reni regis, ſed cæleſtis: non temporalis, ſed æterna Hie
ruſalē: cuius participatio eius in idipſum. quod ſemper
idē eſt, id ipſum eſt. quid eſt quod ſemper eſt, niſi Deus,
qui dixit, ego ſum qui ſum, qui deſcendit ut aſcendere-
mus, qui participauit noſtræ mortalitati (nam uerbum
caro factum eſt, & habitauit in nobis) ut participare
poſſemus ſua æternitate? Nam de plenitudine eius nos o-
mnes accepimus. Qui ſunt autē qui aſcenſuri ſunt in iſtā
ciuitatem, ad iſtā participationem, conſequenter expo
„ ſuit, dicens: Illuc enim aſcenderunt tribus tribus do
„ mini, teſtimoniū Iſrael ad confitendum nomini domini.
Non tribus terræ, de quibus dicitur, Et plangent ſuper
ſe omnes tribus terræ: ſed tribus domini, quos duode-
cim apoſtoli iudicaturi erunt ſecernentes eos ab illis quæ
ſunt tribus diaboli: horum enim teſtimonium in Iſrael,
id eſt, in illis qui uident Deum. Ad quid aſcendunt? ad
confitendum nomini tuo domine: ſicut dictum eſt, Con
„ feſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Quia illic
„ ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid.
Quæ ſunt hæ ſedes niſi ſancti apoſtoli & prædicato-
res mūdi, in quibus ſedet ipſe Deus ad iudicandum or-
bem? Nam ipſe Deus dixit, Cælum mihi ſedes eſt: &
in pſalmo, Cæli enarrant gloriam Dei: qui ſunt iſti cæ-
li niſi ſancti apoſtoli, quorum ſonus exiuit in orbem ter
ræ? unde dictum eſt, anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, id

est, in anima iusti sapientia sedet. Hæc sapientia Deus est, qui dixit, & habitabo in illis, & illi mihi erunt in populos, & ego ero illis in Deum. Sedes super domum Dauid, id est super familiam Dauid: domus Dauid Ec-
» clesia est. Rogate quæ ad pacem sunt in Hierusalẽ,
» & abundantia diligẽtibus te. Rogate duobus modis intelligitur: uel interrogate, uel precamini: id est interrogate uel precamini quomodo possitis habere pacem in Hierusalem: uel ad illas sedes sermo dirigitur, ut illi in iudicio interrogent qui sunt qui ad Hierusalem pertineãt: de quibus dictum est: Beati pacifici, quoniã filij Dei uocabuntur. Iterum sermo ad illam dirigitur Hierusalem:
» & abundatia diligentibus te, id est omnium bonorum abundantiam habent, qui cælestem diligunt Hierusalẽ: hic abundantiam in spe, illic abundantiam in re. Vnde
» consequenter ait, Fiat pax in uirtute tua, & abundã
» tia in turribus tuis: id est in dilectione tua. Virtus enim tua (ô Hierusalem) dilectione Dei & proximi constat: per istam pacem, & per istam uirtutem, abundantia erit in turribus tuis, id est in excelsis tuis, qui paulo ante sedes dicebãtur. Multi sunt in dextera stãtes, sed pauci in iudicio sedẽtes. Sedẽtes ideo in turribus tuis ô Hieru-
» salẽ dixit huius pacis & huius ciuitatis amator: Pro-
» pter fratres meos & proximos meos loquebar pacẽ de
» te. Non propter me, non propter terrenos honores, non propter diuitias seculi, sed propter fratres meos, & proximos meos, scilicet filios tuos, ut hãc pacem percipiant & maneãt in illa. Propter domũ domini Dei mei quæsiui bona tibi. Id est ut augeatur numerus filiorũ tuorũ, ut omnes ad te currãt, & dicat unusquisque alteri: ea-

mus in domũ domini, uenite aſcendamus ad mõtem do-
mini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias
ſuas: quia de Siõ exibit lex, & uerbum domini de Hie-
ruſalẽ. Videamus quid iſte aſcenſor in domo Dei ſtãs,
,, & in quãtũ fiducia grãdũ pueniẽs dixit: Ad te leua
,, ui oculos meos qui habitas in cælo. Leuemus oculos no
ſtros à terrenis ad cæleſtia, à nobis ad dominũ, diſplicea
mus nobis ut placeamus Deo qui habitat in cælo, hoc
eſt, in unitate ſanctorũ. ſicut ſpiritaliter oculos leuare, ita
ſpiritaliter cælũ intelligere debemus. Vbi habitat Deus,
ibi corda noſtra in charitate leuanda ſunt: hoc eſt ut fir
mius intelligantur exẽpla, quibus exẽplis iſte amator ſe
,, roborauit. Ecce ſicut oculi ſeruorũ in manibus domi
,, norũ ſuorũ. Et ſicut oculi ancillæ in manibus domi-
,, næ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominũ Deũ noſtrũ, donec mi
,, ſereatur noſtri. Cũ ergo audis Chriſtũ, leua oculos tuos
ad dominũ Deũ tuũ: cũ audis dominũ, leua oculos tuos
ad ſapiẽtiam & Dei uirtutẽ. Leua oculos tuos ad do-
minam tuã, quia ſeruus & ancilla es: ſeruus, quia po-
pulus es: ancilla, quia Eccleſia es: ſed ipſa ancilla ſpõſa
facta eſt. unus loquitur, & omnes in uno loquuntur,
quia omnes unũ ſunt in Chriſto: unus populus, una Ec-
cleſia, unus grex ad unũ paſtorẽ ptinẽs. Donec miſerea
tur noſtri, id eſt donec ab huius uitæ tribulationibus
& ab huius uiæ moleſtiis liberet nos, & in æterna
patria conſtituat, quos hic per tentationes uarias eru-
dire non deſinit. Et quid iſte clamat audiamus:
,, Miſerere noſtri domine miſerere noſtri, quia mul-
,, tum repleti ſumus deſpectione. Miſerere noſtri, ut
fidem rectam teneamus: miſerere noſtri, ut opera ſ-

dei conuenientia perfidamus. Quia multum repleti sumus despectione, id est huius seculi tentationibus. Et repleta est anima nostra opprobriū abundantibus, & despectio superbis. Et qui sunt qui opprobrium non faciunt: consequenter exponit: Opprobrium abundantibus, id est gaudentibus: & despectio superbis, qui in diuitiis suis contēnunt pauperes Christi: de quibus dicitur, beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum. In quinto graduum, hoc est, in patientiæ soliditate amator iste stans, hæc dicendo decantat: Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia dominus erat in nobis. Vox ista sanctorum, siue martyrum, siue tribulationes in hoc seculo patientium existit: quasi diceret, nisi dominus esset nobis adiutor, nequaquam has tribulationes, & has passiones, & has persecutiones sustinere potuissemus, sed quia ille in nobis est, facile omnia pertransire ualemus, quæ in hoc seculo dura uidentur. Hoc dicat Israel, hoc est uir uidens Deum hoc cogitet, quia Deus hæc opera in illo cōplet. Dū insurgerēt homines in nos, fortè uiuos deglutissent nos. Ad deuorandū nos & quasi uiuos glutiendū insurgebāt. Quis horū tam immanes & tam immites persecutiones sustineret, nisi dominus adiuuisset eos, qui nunquam dereliquit sperātes in se: Igitur in primo psalmo graduum de dolosa lingua & blanda seductione se liberatum esse testatus est, nunc autem hoc psalmo de aperta persecutione se redemptum esse per Dei & domini misericordiam enarrat: quatenus & spiritales & corporales uinceret persecutiones, uel in occulta tentatione, uel in aperta persecutione. Quod uerò

in antecedentibus psalmis quasi una persona loquitur, hic uerò plurali numero dicit: illud significat propter unitatem corporis Christi, hoc etiam quia multa sunt mē-
» bra ad caput illud quod est Christus pertinētia. Dū
» irasceretur furor eorum in nos, forsitā aqua absorbuis-
» set nos. Vox martyris est, truculentum persecutoris animum ostendentis: forsitan uelut aqua absorbuisset nos. Aqua populū impium significat, qui quærit sanctos de-
» uorare. Torrentem pertransiuit anima nostra, for-
» sitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
» Immanitatem persecutionis significat torrentis nomine. Aquam intolerabilem, hoc est, incredibilē rabiem iniquorum perpessi sumus: & nisi dominus esset in nobis, nullatenus euadere potuisset fragilitas nostra has immanissimas persecutiones. Ad laudem liberatoris sui, ista uictrix aduersariorum, concorditer conuersa est, di-
» cens: Benedictus dominus qui non dedit nos in captio-
» nem dentibus eorum. Benedictus Deus qui uicit mundum per quem nos uincimus, per quem nos liberati sumus à persecutione atque dirissimis dentibus: & hoc
» quia Deus erat in nobis. Anima nostra sicut passer
» erepta est de laqueo uenantium. Passer iste Christus est: & sicut ille liberatus est ab omni iniquitate, & à persecutione impiorum, & uictor gloriosus ad paternam rediit sedem: sic nos per illum liberati sumus, & non sumus dati in laqueos diabolicæ fraudis, nec in manus uenantiū nos. uitam perdidimus, sed fidem seruauimus: & melius quod perdidimus inuenturi sumus, ipsa dicente ueritate, qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Et huius adhortationis, & patien-

tiæ, & roboris, quis est auctor in nobis nisi ille qui fecit cælum & terram? ipse qui fecit, ipse redemit: & ipse
» qui redemit, ipse remunerat: ipsi dicamus semper, Ad-
» iutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cælum &
» terram. Modo incipit de stabilitate æternæ Hierusalem dicere, & de illorum fiducia & stabilitate qui ad eum
» toto desiderio festinant, dicentes: Qui confidunt in
» domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternũ
» qui habitat in Hierusalẽ: Fides quæ ad Deũ est stabilẽ facit uitam, nec ullis tentationibus moueri potest, qui supra firmam petram suam construit domum. Quis est mõs Sion nisi Christus, qui est in uertice mõtiũ, & eleuabitur super colles, & fluent ad eũ omnes gentes? Sion est Ecclesia in qua est speculũ uitæ, æternitatis uisio, cuius caput est Christus. Ecce quærit iste ascensor spiritaliũ graduum qualis sit ista Hierusalem, in qua sanctorum
» chorus habitat, & respondetur ei: Montes in circui-
» tu eius, & dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc
» & usque in seculũ. Isti montes sunt angeli, sunt prophetæ & prædicatores sancti, qui muniũt istã Hierusalem. & ne hoc tibi paruũ uideretur ꝙ tales montes habet in circuitu, statim subiunxit, & dominus in circuitu populi sui. Ecce quales habemus muros, quales munitiones, quales defensores. maneamus intra septa Hierusalẽ, & nõ timeamus insidias diaboli nec sagittas eius, tales habentes defensores: Et hoc non ad tẽpus, sed in æternũ, ideo addidit: ex hoc nunc & usque in seculum. Sequitur:
» Quia nõ derelinquet dominus uirgã peccatorũ sup sor
» tẽ iustorũ: ut nõ extẽdãt iusti ad iniquitatẽ manus suas.
» Sors iustorum est stare ad dexteram Dei in die iudicii:

super sortem uero illorum, id est super congregationem illorum, non uenit uirga impiorum, id est sentētia illa terribilis: Ite maledicti in ignem æternum. ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: quare hoc, ut non extendant ad iniquitatem manus suas? ut ad tempus ferant iusti iniquos dominantes, & intelligant nō esse sempiternum, sed præparent se ad possidendam hæreditatem sempiternam: tunc enim destruetur omnis potestas iniquitatis, ut sit dominus omnia in omnibus: hoc cogitent qui recto sunt corde, quòd non semper dominantur iniusti, sed auferetur potestas illorum ab eis, &

» *regnabit dominus super sanctos suos.* Et benefaciat
» *bonis & rectis corde.* Hic ut in fide & bono opere
permaneant stabiles, & in futuro gloriā accipiant sem
» *piternā.* Declinantes autem in obligationem adducet
» *dominus cū operātibus iniquitatē, pax sup Israel.* Qui

operantur iniquitatem, id est quorū facta imitati sunt, qui eorum præsentem lætitiam amauerunt, & futura supplicia non crediderunt. qui ergo recti sunt corde & non declinant, quid habebunt? Iam ueniamus ad ipsam hæreditatem: quæ est illa hæreditas? pax super Israel. quæ pax illa? quæ exuperat omnem sensum. Psalmus iste graduum redemptionis nostræ laudē decantat. quomodo liberati sumus de captiuitate diabolicæ potestatis, & peccatorum nostrorum uinculis, can

» *tat iste amator libertatis nostræ.* In conuerten-
» *do dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut con-*

solati, id est gaudentes. Sion in angelis æterna, in hominibus captiua est. unde captiua? quia uenundati sub peccato: unde uenundati, nisi consentientes

peccato: liberi facti sumus, sed nosmetipsos uendidimus peccato, consortes facti peccato primi parentis nostri: sed in secundo liberati sumus, & ideo consolati: non enim omnes illius ciuitatis ciues captiui sunt, sed qui inde peregrinantur captiui sunt: consolatio uerò miserorũ est & gementium, sed modo hæc consolatio est in spe, tunc erit in re, dum uidebimus facie ad faciem: usque nũc in fide credimus, & in spe amamus.

» Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua
» nostra exultatione. *In hac consolatione huius redemptionis nostræ repletum est os cordis nostri gaudio, & lingua cordis exultatione: os cordis & lingua cordis: quo ore carnali clauso, dum oramus, clamamus ad*
» *Deum.* Tunc dicent inter gentes, magnificauit do-
» minus facere cum illis: *id est misericordiam facere cum omnibus gentibus: quia non tantum notus in Iudæa Deus, sed à finibus terræ laudes audiuimus iustorum, dicentes, exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe. dicamus itaque*
» *omnes:* Magnificauit dominus facere nobiscum, fa-
» cti sumus lætantes. Misericordiam fecit nobis, *ideò*
» *facti sumus lætantes.* Conuertet dominus captiuitatem nostram sicut torrens in austro. *Torrentes dicuntur flumina hyemalia, magno enim impetu repentinis aquis impleta currunt: Auster uerò uentus calidus est, & glacies soluens, significat uerò spiritum sanctum, qui duritiam peccatorum nostrorum, quæ zelo infidelitatis constricta est, soluit & siccat, & conuertit captiuita-*
» *tem nostram in lætitiam.* Qui seminant in lachry-
» mis, in gaudio metent. *Beati qui lugent, quoniam ip-*

si consolabuntur. Item beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. seminant in lachrymis, qui lugent sua peccata: seminant in ualle, qui misericordiæ opera faciunt, dicente apostolo: Qui seminat in benedictione, de benedictione accipiet: quantum enim quisque seminat, tantum recipiet. Nam ipsa uita in quam intrauimus misera est, lachrymosa est, laboribúsque plena. Ideo homo natus flere nouit, ridere non nouit: quia ad laborem natus est, non ad lætitiam. » *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.*

Iste gradus canticorum ad opera nos misericordiæ exhortatur, ut eamus & quæramus cui bene faciamus, & compatientes simus miseriæ aliorum, sicut apostolus dicit: flere cum flentibus. mittamus semina nostra super transeuntes aquas, quia in multo tempore inueniemus illa. Ideo sequitur: » *Venientes autem* » *uenient in exultatione, portantes manipulos suos. Quo uenient nisi in præsentiam summi iudicis, qui portant opera misericordiæ? Esuriui enim, ait dominus, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. quid uerò audituri erunt? uenite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi &c. Tunc illis hoc dicetur, qui opera misericordiæ modo diligenter uolunt seminare in pauperes. Hæc cantica, ut sæpe diximus, ascendentium sunt: qualiter ascendentium? scilicet amando Deum. qui Deũ amat, ascendit: qui seculum amat, cadit. sed huius seculi titulo additum est canticum graduum Salomonis. Videamus cur nomen Salomonis, in hoc tantummodo additũ sit. Salomon interpretatur pacificus. quis iste pacifi*

cus, nisi uerus Salomon dominus noster Iesus Christus, qui cœlestia & terrestria pacificauit in sanguine suo, & fecit utraque unum, duos sibi parietes coniūgens in seipso summo angulari lapide? Nam Ecclesia duobus populis, id est circūcisionis & præputii copulauit in unū ouile, ut sit unus pastor & unū ouile. De isto uerò Salomone in capite huius psalmi dicitur: Nisi dominus ædificauerit domū, in uanū laborant qui ædificāt eā. Nisi dominus ædificet Ecclesiā absq; macula & ruga, in uanum laborat omnis prædicator. Qui sunt qui in uanum laborant, nisi hæretici, qui laborant Ecclesiam congregare, sed absque domino? Ideo uanum est opus illorum. ex quo populus fidelis ædificatus est, custos est ipsius dominus noster Iesus Christus, qui ædificat, qui cōseruat, qui protegit, qui remunerat, ille solus in omnibus & ædificator & custos. ideo dixit in sequenti uersu: Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eā. Ista est ciuitas de qua sæpius in his graduū psalmis cantatur, spiritalis utique Heirusalē. Vanum est uobis ante lucē surgere. in uanum est enim intus homini absq; diuina gratia laborare. Surgite postquā sederitis, qui manducatis panē doloris. Si uultis in excelso esse, estote hic humiles: ubi humilis fuit ille, qui pro nobis pauper fuit factus: ut ibi excelsi sitis, ubi ille sedet ad dexteram Dei patris. Surrectio exaltationem significat, sessio humilitatē significat. Aliis locis sessio intelligitur ab honore iudicādi, ut illic, sedebitis uos super sedes duodecim. Item sessio humilitatem significat, ut illic, Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Nam & in alio psalmo, domine tu cognouisti sessionem meam & re-

surrectionem meam, id est humilitatem meam & exaltationem meam. Vt ergo intelligeretur ad quas pertineret hæc sessio, formam addidit statim: qui manducatis panem doloris. Manducant panem doloris, qui gemunt in hac peregrinatione. Cælestem ergo desiderio anhelemus patriam, hic humiliatio, illic exaltatio: hic peregrinatio, illic patria. humiliemur sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore uisitationis. Quasi quæreret iste amator quando esset ista re-
„ surrectio, id est exaltatio, respondetur ei: Cum
„ dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas domini filij merces fructus uentris. Somnus hic mortem significat: Christus non est exaltatus nisi post mortem, ita nostra exaltatio non est nisi post mortem: quia illius resurrectio non fuit nisi antea moreretur, nec nostra erit resurrectio nisi antea moriamur. quasi uerò quæreres iterum, quibus dilectis? ait, hæreditas domini filij merces fructus uentris. Quæ est hæreditas ista? illa utique de qua dicitur, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Qui sunt filij merces? sancti scilicet omnes, quos Christus suo sanguine acquisiuit: fructus uentris, id est omnium sanctorum congregatio filij merces fructus uentris. Deinde
„ adiungit: Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij ex-
„ cussorū. Sagittæ apostoli sunt, quorū sonus exiuit in omnem terram: de manu potentis missi, id est Christi: ita filij excussorū, illi ipsi apostoli filij sunt excussorū, id est filij prophetarū, qui secreta & mysteria incarnationis Christi, & sanctæ sacramēta ecclesiæ Dei dono cælestis

thesauri excusserunt, & in lucem produxerunt à seculis mysteria: horum filij sunt apostoli, quia quod illi in ænigmate pronunciauerunt, hoc apostoli in
" Christo quasi historiam prædicauerunt. Beatus
" uir qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non con-
" fundetur dum loquetur inimicis suis in porta. Ex ipsis, id est apostolorum prædicationibus, qui totum suum desiderium ex illa prædicatione implet, & amat cælestia, non terrena: æterna, non temporalia: iste non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Porta uerò Christus est: qui Christũ prædicat, qui in Christo loquitur, qui in Christo manet, non cõfundetur in æternũ: sed prædicat opportune, importune. id est, uolẽtibus, & nolentibus audire uerbũ Dei: etiam amicis uel inimicis. ille stat importune, ut omnes audiant & omnes ædificẽtur. Venit ad canticum beatitudinis istorum ascen-
" sor graduum, & ait unde sit ista beatitudo, Bea-
" ti omnes qui timent dominum, qui ambulant in uiis
" eius. Hæc uera beatitudo in timore domini consistit, & in obseruatione præceptorum illius. iste est timor de quo in alio psalmo dicitur, Timor domini sanctus permanet in seculum seculi. Alius est timor propter pœnam, alius est propter amorem. Iste est beatus qui propter charitatem timet dominum, & in charitate eius præcepta obseruat. Vt ille ipse ait: Si
" diligitis me, mandata mea seruate. Labores fru-
" ctuum tuorum manducabis, beatus es & bene tibi e-
" rit. Non labores manducat quisque, sed quod ex labore nascitur, id est fructus. Sancti martyres laborauerunt in hoc seculo, ut fructum uitæ æter-

næ acciperent, ut impleatur in illis quod dictum est, uos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono uobis regnum sicut disposuit mihi pater meus, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Beatus es & bene tibi erit: hic beatus in spe, illic bene tibi erit in re, dum uidebis facie ad faciē quem
" hic amas in corde. Vxor tua sicut uitis abundans
" in lateribus domus tuæ. Vxor Christi ecclesia est & sponsa quæ abundat fructu boni operis in lateribus domus tuæ. Illa sunt latera in domo Dei quæ adhærēt
" Christo firmius. Filij tui sicut nouellæ olivarum in
" circuitu mensæ tuæ. Nō est alia in Christo uxor, alius filius, sed omnes unum in Christo. Quam ante uxorem nominauit, nunc nominauit & filium, quia uxor & filij ecclesia est Christi. sicut nouellæ oliuarum, pacem significat. Ideo filij in nouitate spiritus, non in uetustate literæ in pacem Christi transeunt: in circuitu mensæ tuæ. Mensa Christi, scriptura est sancta, unde pascimur, unde intelligimus quid amemus, & quid desideremus, ad quē
" habeamus oculos leuatos. Ecce sic benedicetur omnis
" homo qui timet dominum. Recurrit ad principium psalmi ubi ait, Beati omnes qui timent dominum. Nunc exponit quæ sit ista beatitudo quæ timenti Deum debetur, uel quomodo benedicendum sit qui Deum timet. ait
" enim: Benedicat te dominus ex Sion, & uideas quæ
" bona sunt in Hierusalē omnibus diebus uitæ tuæ. Ex Sion dixit, benedicat te dominus, id est, speculatione æternæ uitæ. Illa est uera benedictio quæ nos facit uitam desiderare æternam. Ideo adiūxit, ut uideas bona quæ sunt in Hierusalem omnibus diebus uitæ tuæ: Id est,

æterna bona non temporalia: permansura, non transitoria, quæ sunt in Hierusalem cœlesti omnibus diebus uitæ tuæ semper eris gaudens, semper uidebis bona. i. totius bonitatis auctorem Christum. Et uideas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Filij tui sunt opera bona quæ facis: filij filiorũ tuorum, fructus bonorũ operum, quæ uidenda & recipiẽda sunt in futura uita, ubi pax erit super omnes Deũ uidentes, & hæc pax est Christus quæ exuperat omnem sensum. Illa pax custodiat corda nostra in perpetuum.

Decimus iste psalmus graduum ita incipit: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel.

Vox est ecclesiæ sustinẽtis falsos fratres, & in exemplo priora respiciẽs, & super ipsa exhortãs exẽplis patrum inuincibiliter sustinere: quia olim expugnata ecclesia & non nouiter, sed semper ab initio quo cœpit esse. Nam Abel ecclesia fuit Christi, sed à fratre expugnatus est. Similiter Iacob ecclesia Christi fuit, sed à fratre Esau expugnatus est. Etiam & Moyses in ecclesia Christi sæpissime expugnatus est à populo cui præfuit. Occisus fuit Christus à synagoga, sed non separatus. Ecce enim exemplis docebat nos aduersus falsos fratres fortiter sustinere. Dicant omnes qui Deum pleno corde diligunt, deumq; uidere cupiunt, & dicãt iterum: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Siue in uetere siue in nouo testamento, & nunquam potuerunt præualere mihi ut consentirem eis. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitates suas. Fabricauerunt toleranti mihi supra dorsum: posuerunt mihi tribulatio-

nes, sed ego portaui eas donec corrigantur, & sic desinant persequi me, & uel in fine excutiantur à dorso meo: ego usque in finem tolero, sed usque in finem persequentur. Prolongauerunt *iniquitates suas, quia non est tempus in hoc seculo, quo ecclesia* Christi *persecutionem non patiatur à falsis fratribus.* Sed *dominus iustus concidet ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt* Sion. *id est, superbiam illorum conteret. per ceruicem superbiã istorum designat.* Confundantur *& reuereantur omnes qui oderunt* Sion: *confundantur in iudicio, reuereantur in profundis qui oderunt* Sion, *id est, qui oderunt ecclesiam, qui nolunt obedire uerbo* Dei. *Sunt enim in ecclesia sed ficti fratres, & odio habent bene operantes in ea.* Vnde *sequitur de his qui oderũt ecclesiã:* Fiãt *tanquam fœnũ tectorum quod priusquã euellatur arescit.* Et *sicut fœnum tectorum sine radice est, & cito arescit, sic illi cito pereunt: quod priusquam euellatur arescit, id est, priusquam in iudicio puniantur arescunt, non habentes humorem boni operis.* De *quo nõ implebit manum suã qui metet, & sinum suum qui manipulos colliget.* Messores *sunt angeli, de quorum operibus non implent sinus suos, quia zizania sunt & non triticum, sed in fasciculos ligantur & igni comburuntur æterno.* Et *non dixerunt qui præterierunt, benedictio domini sup uos, benediximus uobis in nomine domini.* Trãseũtes *sunt p huius seculi uiã prophetæ, patriarchæ, & apostoli: quorũ benedictio proficit in filiis ecclesiæ, nõ in falsis fratribus, qui expugnãt ecclesiam: non dant enim benedictionem super perituros, sed super*

mansuros: & quam benedictionem dant? Benedicunt in nomine domini, quia omnis benedictio & omnis sanctificatio per nomen domini roboratur & cōfirmatur. Sequitur uerò psalmus graduū cuius principium est:
» De profundis clamaui ad te domine, domine exau-
» di uocem meam. Ad istum itaque psalmum considerationis gradus est, & cuiusdam querelæ statio, ut intelligamus ita in quo profundo sumus, & unde clamare nobis necesse est. Profunda est nobis uita ista mortalis: quisquis se in profundo intellexerit clamet, gemat, suspiret, donec de profundo eruatur, & ueniat ad eum qui super omnes abyssos sedet, & super cherubin, & super omnia quæ creauit, nō solum corporalia, sed etiam spiritualia: sed inde usque ad profundum huius uitæ peruenit, ut nos liberaret ab hoc profundo miseriæ, & nos incitaret ad eum clamare, qui est saluator uerus, &
» dicere: Domine domine exaudi uocem meam. Fiat
» aures tuæ intendentes in orationem serui tui. Geminatio clamoris, significatio est deprecationis intimæ. Se-
» quitur uerò: Si iniquitates obseruaueris domine, domi-
» ne quis sustinebit? Aperit de quo profundo clamaret, id est de peccatorum suorum abysso, quæ inundauerunt super caput eius: intelligens omnem uitam hanc tentationibus plenam. ideo dixit, quis sustinebit? si iustitiam tantummodo iudicas nobis, & non miserationem præstes, nullus est qui sustinere possit, quia omnes filij iræ: sed magis nobis spes est de miserationibus tuis, &
» non de meritis nostris. Quia apud te propiciatio est,
» & propter legem tuam sustinui te domine. Propiciatio est sanguis Christi, quæ nos liberauit à seruitute ti-

moris, quæ in lege fuit ueteri: ſuſtinui te domine, id eſt, ſperaui in te domine. ſicut in alio pſalmo dicit: Expectans *expectaui dominum, & reſpexit me: expectaui*
» *per ſpem, & reſpexit me per miſericordiam.* Suſti-
» *nuit anima mea in uerbum tuum domine, ſperauit ani-*
» *ma mea in domino. in quod uerbum ſuſtinuit? in uerbum quod caro factũ eſt ſperauit anima mea, per quod uerbum mihi omnia dimiſiſti peccata: ſed adhuc ſperat anima mea in domino: quid ſperat? remiſſionem peccatorum recipi, ſed adhuc uitam æternam non teneo: & quia feciſti quod promiſiſti, ſpero te facturum eſſe quod adhuc reſtat, ut poſt reſurrectionem omnium uitam æ-*
» *ternam accipiam.* A *cuſtodia matutina uſque ad no-*
» *ctem, ſperet* Iſrael *in domino.* Cuſtodia *matutina eſt* Chriſtus, *qui reſurrexit, in quo omnes reſurrecturi ſumus: ideo ex illa reſurrectionis ſuæ uiglia uſque ad noctem, id eſt, finem mundi, omnes ſancti ſperent in domi-*
» *no, & hæc ſpes inde certiſſima eſt.* Quia *apud do-*
» *minum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redem-*
ptio. Per *illum itaque redempti ſumus, per illum re-*
» *ſurrecturi ſumus.* Ipſe *redimet* Iſrael *ex omnibus ini-*
» *quitatibus ſuis.* Vbi *ſemper abundauit gratia:* Gratia *enim* Dei *ſaluati ſunt per fidem, ab omnibus iniquitatibus ſuis.* Omnes *fideles nomine* Iſraelis *deſignat, quia omnes per copioſam redemptionem domini noſtri* Ieſu Chriſti *redempti ſunt ab omnibus iniquitatibus ſuis.* Scire *debemus quòd in aliquibus locis in his pſalmis ſonãt uerba quaſi de multis, ſicut ubi ait,* Miſerere *noſtri domine miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione: in aliquibus ſicut de uno, ubi ait,* De

profundis clamaui ad te domine, & hoc quia multi sumus in membris, unum autem in Christo: & omnes in uno loquũtur, & unus in omnibus loquitur. Dicit enim
» *iste ascensor:* Domine nõ est exaltatum cor meum, ne-
» que elati sunt oculi mei. *Sacrificium Deo humilitatis offert in his uerbis, sicut in alio psalmo legitur: Spiritus contribulatus, id est, humiliatus. magis itaque audita est humiliantis publicani oratio, quàm superbientis pharisæi: neque elati sunt oculi mei: oculos cor-*
» *dis elatos esse non dixit sed humiliatos, quia omnium*
» *bonorum custodia est humilitas.* Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. *Nec quæsiui ut magnus essem inter homines aut mirabilis, faciendo signa uel miracula: quia signa propter infideles data sunt, non propter fideles: ut per signa crederent, qui per prædicationes non crediderunt. unde*
» *subdidit,* Si non humiliter sentiebam, sed exalta-
» ui animam meam. Sicut ablactatus est super matre
» sua, ita retributio in anima mea. *Videntur maledictionem sonare hi duo uersus, & ad hæreticos pertinere, qui non uolunt humiliari in pace ecclesiæ, sed exaltare in schisma doctrinæ suæ: noluerunt matris ecclesiæ lacte nutriri, ut ad solidum cibum qui Christus est peruenirent: ideo ablactati sunt & à matre repulsi, q[ui]a ab lacte pietatis nutriri noluerunt: & sunt doctores erroris, cum non sint discipuli ueritatis: ideo retribuetur eis in manibus illorum, quia propter infidelitatem schismatis in anima recesserunt à fide:* Ideo in a-
» nima recepturi erunt quicquid meruerunt. Speret Israel in domino, ex hoc nunc & usque in seculum.

qui est spes omnium Deum uidentium, ex hoc nunc & usque in sempiternum : id est, usque ad æternitatem, in qua uidebimus in quem nunc speramus. Venit hic præ-uium nostræ ascensionis, & ad gradum mansuetudinis in qua exemplum nobis sanctissimi David *proposuit*
» *quasi ex sua persona dicens:* Memento domine Da-
» *uid, & omnis mansuetudinis eius.* David *manu fortis interpretatur, qui iuxta historiam pepercit inimico quærenti animam suam, significans* Christum *nostrum bellatorem, qui superbissimum* Goliad *propriæ fortitudinis lapide prostrauit; & nobis cum inimici essemus mansuetus est factus, ut nos eius exemplo edocti man-*
» *sueti simus & mites.* Sicut iurauit domino, uotum uo-
» *uit* Deo Iacob. Iurare Dei *est, id est, promissionis suæ uotum ostēdere: uotum uouit* Deo Iacob. *Quid est uotum* Christi, *nisi ut redimeret humanum genus? unde ait in* Euangelio, *opus consummaui quod dedisti mihi, uotum uouit* Deo Iacob. In *sequentibus demonstrat quid uouisset* Deo, *id est, ut inuenerit tabernaculum* Deo Iacob, *id est, ecclesiam sanctam, de qua dicitur in alio psalmo : quàm amabilia sunt tabernacula tua domine, sed nos si bene egerimus tabernaculum erimus* Dei, *& templum* Dei *uiui, sicut dixit apostolus, templum* Dei *estis uos.* Nulla *uos dormitatio, nulla oblectatio carnis, nulla ambitio seculi deterreat, ut tabernaculum* Deo *non inueniamus in nobismetipsis.*
» Ecce *audiuimus eam in* Effrata, *inuenimus eã in cam*
» *pis syluæ.* Effrata *speculũ interpretatur: in speculo imagines cõspiciuntur. significat prophetas, qui per imaginem*

loquuti sunt de futura domo Dei, quam inuenimus in campis syluæ, ibi audiuimus de domo Dei, id est, in altitudine gentium quæ uepribus & spinis peccatorum obsitæ sunt: sed ibi est modo domus Dei & ecclesia
» *Christi, de qua prophetæ prædixerunt:* Introibimus
» *in tabernaculum eius: cuius? Dei Iacob: quomodo introibimus? per fidem: adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. cuius? Christi domini nostri, ubi uestigia conspiciuntur eius, & ibi miracula illius narrantur, & redemptionis nostræ firmitas: quia absque huius domus charitate solus nō inueniretur. ibi adorandus est, ubi fi-*
» *des recta esse diceretur.* Exurge domine in requiem
» *tuam, tu & archa sanctificationis tuæ.* Christo dici-*tur ut exurgat à mortuis, & intret in requiem suam: id est, post laborem passionis in requiem cœlestis gloriæ: tu & archa sanctificationis tuæ.* Archa Christi *ecclesia est, Christi resurrectio præcessit in capite, quæ secuta erit in membris, ut fiat quod ipsa ueritas ait: uolo pater*
» *ut ubi ego sum, & isti sint mecum.* Sacerdotes tui in-
» *duantur iustitiam, & sancti tui lætentur.* Sacerdotis *est iustitiam prædicare, & exemplis ostendere: populi est gaudium in iustitia, & sacerdotū prædicatio.* Item *induātur sacerdotes fide & spe, sanctiq; lætentur: quia sicut Christus surrexit in gloria, ita & sancti cū Chri-*
» *sto surrecturi sunt in gloria.* Propter David seruum
» *tuum non auertas faciem Christi tui.* Vox *est ad deū patrem deprecantis pro ecclesia: non auertas faciem Christi tui: propter uictoriam quam fecit David de inimicis suis auerte iram à Iudæis, & post plenitudinem gentiūm omnis Israel saluus fiet, qui modo in apostolis*

» & reliquiis saluus est. Iurauit dominus David ue-
» ritatem & non frustrabitur eum: iuratio domini con-
firmationem sententiæ significat, nec frustra iurat, nec
sine fructu erit quod promittit. sed ueritatem iurãs ue-
» ritatem implet, quia ueritas falli non potest. De fru-
» ctu uentris tui ponam super sedem tuam: id est de ute
ro uirginali nascetur quem ponam super sedem meam.
Exiet uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascen-
det. Virga de radice patriarchæ exiet, & flos, id est,
Christus de uentre uirginis ascendet: alia habet trans-
latio, iurabit dominus & non pœnitebit eum. Non ali-
cuius Deum pœnitet, sed aliquid immutare eum signifi-
cat dum dicitur, pœnitet Deum. Iurabit dominus & nõ
pœnitebit eum, id est, immutabile uult conseruare quod
» facit, quod statuit cum David seruo suo. Si custodie-
» rint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc
» quæ docebo eos. Et filij eorum usque in seculum sede-
bunt super sedem meam. Vtique & filij filiorũ tuo-
rum si custodierint præcepta mea, sedebunt super sedem
beatitudinis tuæ: quia omnes fideles filij in Christo Da-
uid, & filij Abraham: de quibus ipsa ueritas dicit: po-
tens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahã.
» Quoniam elegit dominus Sion, præelegit eam in ha-
» bitationem sibi. Sion uniuersalis est ecclesia, in ange-
lis beata, in habitationibus terræ peregrina, quæ & ip-
sa in partem uentura est beatitudinis angelicæ, & hæc
est habitatio Dei in æternum, quos elegit in Christo
Deus: præelegit, id est, prædestinauit ante constitutionem
seculi iuxta apostolum: quia quos uocauit, hos & præ-
» destinauit. Hæc requies mea in seculum seculi, hic

» habitabo quoniam elegi eã. Ista Dei uerba sunt, hæc requies mea, ibi requiesco. quoniam nos amat Deus, ut quia nos requiescimus, se dicat requiescere. Nõ enim ipse aliquando turbatur aut sic requiescit, sed ibi se dicit requiescere, quia nos in illo requiem habemus. hic in-
» habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedi-
» cens benedicam, pauperes eius saturabo panibus. Omnis anima quæ se intelligit desertam ab omni auxilio nisi solius Dei, uidua est secundum seculum, quia seculum eam deserit, non tamen exinde uidua est quæ Christum habet uirum: idcirco sancta ecclesia in omnibus membris suis uidua est à seculo derelicta atque contempta, à Christo autem electa & sponsata: & pauperes eius saturabo panibus. Pauperes Christi sunt qui non amant hoc seculum, siue habeãt diuitias siue non habeant: aliquibus enim datæ sunt diuitiæ ad dispensandum egenis, non autẽ datæ sunt eis ad poßidẽdum, neque spem in illis debent ponere, nec satietatem in illis habere: sed in nomine Christi confidere, & in iustitia & in charitate Dei & proximi: hæc est saturitas san-
» ctorum, non seculi diuitiæ. Sacerdotes eius induam
» salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Qui sunt sacerdotes? qui seipsos obtulerunt Deo hostiam uiuam, Deo placentem. & induam salutari, id est, Christo Iesu, qui est salus omnium credentium, ut apostolus ait: quotquot baptizati estis, Christum induistis. Et sancti eius exultatione exultabũt. In quo exultabunt? ut in-
» duãtur Christo: ideo subiecit, Illuc producam cornu
» Dauid, paraui lucernam Christo meo. Vt de Christo intelligatur, & non de solo regno: cornu regnum &

altitudinem significat, David regē Christum: paraui lucernam Christo meo, ipsa ueritas in euangelio de Ioanne dicit, ille erat lucerna ardēs & lucens, ille paratus fuit à deo patre ut præiret faciem Christi sui, sicut dictū est: Ecce mitto angelum meum qui præparabit uiā tuam ante te. Inimicos eius induam cōfusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Super ipsum. i. Christū, efflorebit sanctificatio mea. In ipsius uerò baptismate remissio peccatorū est & sanctificatio, & sancti spiritus donum, ipso Ioanne attestāte, hic est qui baptizat in spiritu sancto, & ego uidi & testimoniū perhibui quia hic est filius Dei. Peruenit iam ad psalmum quartūdecimum, in quo unitatem sanctorum laudat: iste ascensionis amator gaudet se ad unitatē fraternæ charitatis peruenire, ideo ait: Ecce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in unum. Quid pulchrius est, quid ue iocundius est, imò quid melius quàm unitas & charitas in Christi membris quæ fratres nominare placuit, & cui rei similis sit hæc unitas, in sequenti paradigmate exposuit, dicens: Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quis est iste Aarō? utiq; Christus qui solus intrauit in sancta sanctorum in sanguine, non alieno, sed proprio, intercessurus pro nobis apud Deum patrem. sicut unguentum in capite: Vnguentum hoc spiritus sanctus est, quod à capite Christi defluit. Nam caput nostrum Christus est, descendit in barbam, id est, fortes & inuincibiles pugnatores pro Christi nomine, apostolos primum & sanctificatores martyres, & sic in omnes fideles peruenit; ideo adiunxit, quod descendit in

oram uestimenti eius : huius uestimentum sacerdotis sancta ecclesia quæ in finem mundi eius sanguine consecrata est, & in uestem sibi contexta. Ideo dixit in oram uestimenti, subiungensq; ait aliam similitudinem
" sub eadē significatione, Sicut ros Hermon qui descen-
" dit in montem Sion. Hermon dicitur interpretatum nomen exaltatum, quod est Christus in cruce exaltatus, & postea in cœlum eleuatus, cuius gratia, id est, ros illius descendit in montem Sion, id est, sanctus & perfectus in ecclesia Christi. Quod enim barba uel ora uestimenti significat, hoc etiam mons Sion significare ui-
" detur. Sequitur: Quoniam ibi mandauit dominus be-
" nedictionem, & uitam usque in seculum. Vbi mandauit? in fratribus uidelicet qui habitant in unum, ibi præcepit benedictionem, ibi benedicunt dominum qui habitant concorditer, ibi etiam & uitam æternam percipiunt. Hucusque per gradus canentes ascendebamus ad domum Dei. Videamus quid agendū sit in ea, quid igitur nisi dominum corde & ore in charitate benedicere
" cum propheta dicentes: Ecce nūc benedicite dominum
" omnes serui domini! Ecce nunc, id est, in hoc tempore in quo congregauit nos dominus per unigenitum filium suū in domum dilectionis suæ. benedicamus dominū nō transitoria sed permansoria laude, alterutrū hortantes
" nos stare & permanere in laude Dei. Qui statis in
" domo domini, in atriis domus Dei nostri. id est, qui permanetis in catholica fide, in unitate charitatis, quæ atrij nomine in hoc loco designatur. Atriū autē latus est locus & apertus ad solē: ita mens nostra latitudine charitatis, illuminata omnibus aperta debet esse ad benefaciendū.

„ *addidit:* In *noctibus extollite manus uestras in sancta,*
„ *& benedicite dominum.* Noctes *itaque tribulationes*
significant huius seculi, in quibus admonemur manus ad
bona opera leuare, & dominum benedicere, non solum
uerbis, sed & operibus bonis. Facile *est* Deum *in pro-*
speris benedicere, sed multum necessarium est eũ in ad-
uersis laudare: cum Iob, *qui omnibus ablatis quæ ha-*
bere potuit, ait: Sit *nomen domini benedictum, ex hoc*
„ *nunc & usque in seculum.* Sequitur: Benedicat *te do-*
„ *minus ex* Sion, *qui fecit coelum & terram.* Sion *spe-*
culum dicitur, in qua benedicendi sunt sancti, qui ad
quintumdecimum gradum perueniunt, & in coenacu-
lo sub numero decies duodenario spiritum sanctum re-
ceperunt. Ergo *si omnes numeros ab uno usque ad quin-*
decim aggregabis, fiunt centum uiginti, qui numerus san-
cti spiritus aduentu consecratus significat ueteri testa-
mento nouum designari; & nouo uetus adimpleri. In
primo gradu tribulati clamauimus ad dominum: In
quintodecimo liberati à tribulationibus, dominum be-
nedicere iubemur, non alium nisi eum qui fecit coelum
& terram: coelum coeli domino, terram autem de-
dit filiis hominum, qui de terrenis ad coelestia ascende-
re iubentur.

FINIS.

DROGONIS PRIMVM ABBATIS *sancti* Ioannis *Laudunensis, deinde* Hostiensis *Episcopi, de sacramento dominicæ passionis.*

N*oli timere filia* Sion, *ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, & sedens super pullum filium subiugalis.* Veni *domine* Iesu, *ueni desiderate cunctis gentibus, quia dormitauit anima mea præ tædio moræ tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui.* Orere *sol amabilis ut exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad uesperam: & operetur non cibum qui perit, sed qui permanet in æternum.* Noli *timere filia* Sion, *timere pusillum est: ideo adhuc filia, quia times.* Nondum Hierusalem, *sed filia* Sion *hoc est specula.* Ergo *disce speculari, noli timere: quia timor oculum turbat.* Hilaris *pupilla lucidè speculatur.* Fides *pupilla est oculi tui.* Quomodo *pupilla oculi est subtilissima, & nisi impigrè ac sollicitè custodiatur à palpebris, leuissimi & tenuissimi pulueris tactu confunditur: sic acies fidei, nisi peruiglem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur.* Sed *noli timere filia* Sion: Ecce *rex tuus uenit tibi, oritur tibi sol, qui te & custodiat, & illuminet, & perducat te ubi puluis non est: uenit tibi mansuetus. qualis ipse est, talem te esse uult. mansuesce iugum eius portare, ut & ipse sedeat super te asinam suam, & pullum filium subiugalis.* Et *quæ est hæc asina?* Ipsa *quæ caro uocatur & mulier & uirago, quia de uiro sumpta est.* Et *quis est pullus eius?* Mascu-

lus uir. Et *quomodo pullus eius est? Quia non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Sedet *prius rex mansuetus super asinam, postea super pullum: prius caro domatur, ut iugo habilis sit: deinde nascitur pullus, & nutritur & roboratur, ut sessorem suum portare possit.* Et *quare filius subiugalis? Quia sub uiro est mulier, & mulieris caput uir: & tamen filius est subiugalis, quia per mulierem uir: sed in dolore ipsa pariet.* Sedeat *super utrumque rex mansuetus faciens pacem, ne hæc sibi inuicem aduersentur: uenit tibi mansuetus, & tu non uadis ei.* Egredere *de terra carnis tuæ, & de cognatione matris tuæ, & de domo, id est, memoria patris tui.* Pater *tuus* Amorrhæus *est, & mater tua* Chananæa. Huius *patris obliuiscere, & tunc concupiscet rex decorem tuum.* Decor *magnus est, si audis & uides & inclinas aurem tuam:* Audis *per obedientiam, uides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem. hic decor, hic omnis gloria abintus est in fimbriis aureis, hunc decorem tuum rex mansuetus concupiscit.* Egredere *ergo de ciuitate, quia uidit, inquit, iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* Egredere *cum pueris* Hebræis, *qui transeunt simpliciter in occursum domini.* Sterne *in uia ramos oliuarum & opera misericordiæ pedibus eius accommodes.* Accipe *frondes palmarum, ut triumphes de principibus tenebrarum.* Nihil *in te resideat quod in occursum* Iesu *non prodeat: quia nec una ungula in* Aegypto Pharaoni *relinquenda est.* Manus *& cor,*

linguæ concinant Osanna in excelsis.

Videns uidisti domine Deus afflictionem populi tui qui est in Aegypto, & inclinasti coelos tuos, & descendisti liberare nos. Indulta est & mihi domine modica quies ab operibus tenebrarum durißimis, quibus mentem meam uehementer afflixit importunus exactor Pharaonis. & sabbati tui præparatio iam lætificauit animam meam. Veruntamen nondum usque ad speculum perueni, ubi plenius intelligam pustulas & næuos qui maculant faciem meam, quæ ualde displicent in oculis tuis. quoniam & si lauero me nitro, & multiplicauero mihi herbam borith, maculata sum in iniquitate mea. Et nunc domine paßionis tuæ dies urgere nos deberent magis quàm præpositi Pharaonis: quoniam in operibus tuis iustitia est & pax & gaudium in spiritu sancto. Nos autem dormitamus, te domine pro nobis orante, quia oculi nostri tempore nostro grauati sunt. Suscita nos ut uigilemus & oremus, ne incidamus in tentationem: quoniam tribulatio proxima est nobis. Quàm citò clauditur oculus ne te uideat, collabitur pes noster in hoc mare magnum & spatiosum manibus, ubi sunt reptilia quorum non est numerus: quæ somniorum suorum fantasiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, unde non facilis ad superiora reditus est: nisi tu emittas manũ tuam de alto, & liberes nos de aquis multis. Suscita nos domine, ut tecũ uel una hora uigilemus & oremus. Quis autẽ est qui tecũ una hora uigilet? Auulsus enim es à nobis quãtum iactus est lapidis, & agonizas prolixius, ita ut

gutta sanguinis tui decurrat in terram. Longè longè a*uulsus es à nobis, quia lapis est abscissus de monte sine manibus, & iactus est lapis, & percussit* Goliam *in fronte, & statuam in pedibus.* Iste est *iactus tuus longè à nobis, quia etiam adusque interiora uelaminis præcursor introisti pro nobis, ubi semper interpellas patrem.* Sed *utinam gutta sanguinis qui de agone tuo sudat, usque ad terram nostram decurrat, & aperiat terra os suum, & bibat illum & clamet ad te, & tecum ad patrem, melius quàm sanguis* Abel. *Quis autem est domine qui tecum una hora uiglet?* Etiam *in cælo non est factum silentium, nisi quasi media hora. Quanto minus in terra una hora uigilabimus tecum? Quoties & redis ad nos, & inuenis dormientes: & tamen benigne suscitas nos, & iterum abis secundo & tertio eundem sermonem dicens?* Statim *autem ut recesseris, iterum somnus occupat nos, nec uiglare possumus nisi quandiu nobiscum es & suscitas nos.* Venis *in secunda & in tertia uiglia, sed beatus ille seruus, quem tunc inueneris uiglantē.* Iam *primæ & quartæ uigliæ nulla mentio fit: quia nec primæua ætatis sensum recipit uigilandi, nec ultima spem prolixius dormiendi.* Et *quid est domine quòd tertio rediens copiam dormiendi præstas? dormite iam, inquis, & requiescite.* Nunquid *aliū concedis somnum, ubi requiescitur, & alium prohibes in quo oculi grauantur?* Ita *est. Qui enim uiglat in te, suauiter dormit, & silet, & somno suo requiescit: qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte nesciens grauiter agitatur.* Tristis *est, inquis, anima mea usque ad mortem.* Anima *tristis est, quæ expectat mortis tribula-*

tionem. Quis enim sciat utrum ad sinistram an ad dextram eat? quis enim sciat quomodo respondeat ad arguentem se, quando iudex sicut parturiens loquitur? Ideo tristis anima similis fiat pellicano solitudinis, quae odit ciuitatem & conuenticula eorum de sanguinibus & macie solitudinis pallet, ut sicut nycticorax in parietinis scripturae, quaerat sibi escam tota nocte, & euolet in passerem super tectum uigilantem, & cauentem quãdo ueniat fur. Vel Iudam non uidetis, quomodo non dormit? Quàm peruigiles habet oculos auaritia? quomodo circuit orbem terrae? non cessat manus eius, nõ cessat pes, & coaceruat sibi iram in die irae. Et tamen dormit Simo, dormit Iacobus & Iohannes. Quare? Quia non attendunt quid post paulum futurum sit. periculi magnitudo somnum fugat. Nunquid dormiuit Petrus in atrio? Nunquid dormierunt qui relicto eo fugerunt? Nunquid dormiuit adolescens, quando tenuerunt eum, & ille reiecta syndone nudus profugit? Et tamen frigus erat, quia stabat Petrus & calefaciebat se. Magnitudo periculi & frigus & famem facit obliuisci. Euigila tandem, euigila miserabilis anima, si non amore, saltem timore. Cogita saltem cruciatũ, quem iam passura es in morte. certè nulla crux est durior, quàm mors. Mors inquã ipsa est durissima crux, quae tibi paratur, ad quam quotidie tu festinas, & non attendis. uide quomodo te mors crucifigit: corpus rigescit, crura distenduntur, manus & brachia decidunt. pectus anhelat, ceruix languescit, labia spumant, oculi stupescũt, facies exudat, uultus horrescit, & uelut testa pallescit. ista manet crux te, nescio utrum in lectulo molli, an in cruce rigida sua-

uius moriatur: nisi quòd crux citius dolorē abscindit. Quæ uidemus & sentimus leuia sunt, ad ea quæ intus anima iam prægustat. Nam sensus à corpore cito recedit, animam sua mors semper comitatur. Quum ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea. Si uita nostra proficeret, rota sanctæ scripturæ nobiscum ambularet, sed quia per paludes & saxa pedibus euntes offendimus, uix rotæ nos sequuntur. Paßio domini celebratur, & nos uoluptati operam damus. Clamat nobis de cruce, O uos omnes qui transitis per uiam, attendite & uidete si est dolor similis sicut dolor meus: & nemo est qui audiat, nemo est qui consoletur, nemo est qui respondeat. Sitio, inquit. domine, quid sitis? Ergo ne plus cruciat sitis, quàm crux? de cruce siles, & de siti clamas, Sitio: Quid? uestrā fidem, uestram salutem, uestrum gaudium: plus animarum uestrarum q̄ corporis mei cruciatus me tenet. O uos omnes qui transitis per uiam, attēdite & uidete si est dolor similis sicut dolor meus. Attendite dolorem meū, ut in dolore meo uideatis dolorē uestrum: dolor meus imago uestri doloris est. Quod attenditis in corpore meo, attendite & uos, si similis dolor nō est in corde uestro: trāsitis à uobis ad me; retransite à me in uos: & uidete si similis dolor in uobis, sicut dolor meus. Nolite flere super me, sed super uos ipsas flete filiæ Hierusalē. Nam ille dolor quē transitis, & non attenditis, magis est flendus quàm dolor meus: propter scelus enim uestrum percussus sum. Hæc nobis de cruce tua clamas, ô benigne Iesu, & si non uerbis, tamen ipsa re: quid tibi respondeam? quid loquar? aut quid retribuā? fecisti ergo mihi de corpore

tuo speculũ animæ meæ. Nesciebã cõtumelias *&* terrores, *&* colaphizantẽ me incessanter satanã, nisi viderẽ artem medicinæ tuæ similia similibus curantem, *&* appenderem in statera hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. Dedisti corpus tuum percutientibus, *&* genas tuas uellentibus: faciem tuam non auertisti à conspuentibus in te, ut alapæ tuæ alapas meas remoueant, *&* flagella flagellis expientur, *&* opprobria exprobrãtium quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobriũ sempiternum. Hæc sunt linteamina mundissima carnis tuæ, quibus uulnera mea alligasti, ô Samaritane misericors: ut imponeres me super iumentum tuum, *&* perduceres in stabulum: quoniam uerè languores nostros ipse tulisti, *&* dolores nostros ipse portasti: cuius liuore sanati sumus. In domo ergo principis sacerdotum uelata facie colaphizatur Christus, quia in domo conscientiæ cæcata mente colaphizatur christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto: *&* quod ille foris à ministris Caiphæ, ego intus à nequitiis satanæ: quia super dorsum meum fabricauerunt peccatores, faciem mihi uelauerunt, faciem meam in terra defixerunt *&* dorsum meum incudem suam fecerunt, *&* super dorsum meum fabricauerunt peccatores: sed adhuc intra domum contineor, ubi puella moritur *&* suscitatur: nam *&* ibidem Petrus negauit, dicens: ô homo, nõ sum: hominem attendo, non Deum: hominem timeo, nõ Deum, cuius ueritatem nego. Nonne tibi Petrus in his uerbis uelatam habuisse faciem uidetur? unde tertio colaphizatus est? quia tertio negauit. Et Paulus tertio rogauit dominum, ut auferret à se angelum satanæ qui eum

colaphizabat. Vterque ergo apostolus colaphizatus est, uterque naufragium passus: ille intus, iste foris. uoluisset quidem satanas, si tamen licuisset, tam diu Petrum colaphizãdo cribrare sicut triticum, donec omnem ab eo fidei medullam excussisset, sed ego, inquit, Petre rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: unde respexit eũ Christus, & egressus foras fleuit amarè. Tam diu faciem habuit uelatam Petrus, donec respexit eum Christus. Sed nunquid non etiam prius respiciebat? etiam: sed Petrus respicientem se Christum non respiciebat: quia uelatam faciem habebat. Vnde bene alius Euangelista: & recordatus est, inquit, Petrus: recordatus Petri, respectus fuit Christi: ergo cum peccatorem flendo recordaris, à Christo uideris: imò sublato uelamine Christum uides. Et egressus foras propterea negabat, quia intus esse nolebat: & tamen quando negauit, foras egressus est: unde foras? de domo Christi, de domo fidelium. At ubi de domo Caiphæ foras egressus est, in domum Christi intromissus est. Quot sunt hodie qui dicunt, nos sumus de domo Christi, nos sumus de domo Ecclesiæ, & sunt de domo Caiphæ, hoc est hypocrisis? quod Petrus negando, hoc isti faciunt affirmando: sed nisi confitendo exeant foras, & amarè fleant, non intrant in Ecclesiam Christi. Amaritudo fletuum, uelamen diluit oculorũ. In domo ergo Caiphæ colaphizatus est Christus, quia in domo Caiphæ colaphizatur Petrus: Et quod Petrus à satana intus passus est, hoc Christus à ministris satanæ foris pertulit. Attende & uide, si est dolor similis sicut dolor meus. Vide quis grauiora pertulit opprobria, Christus foris in corpore, an

Petrus intus in corde. Sed iam ad Pilatum eatur. Mane autem facto uinctus adducitur ad Pilatũ. quãdiu culpa latet, nox est: at ubi cœperit innotescere, mane fit: tunc iam ligatur à principibus sacerdotum, & traditur Pilato, hoc est, principi tenebrarum, sicut & apostolus iubet huiusmodi tradere satanæ in interitum carnis. Effertur adolescens de domo ad portam ciuitatis, ubi sedet Pilatus pro tribunali: in porta enim ciuitatis iudiciũ solebat fieri: Pilatus autem apprehensum flagellauit. Sæpe dum culpa retegitur per impudentiam peccatorũ effrenatur, augentur flagella, plagæ multiplicantur. Multa enim flagella peccatorum: his flagellis sæculi Pharao cædebat filios Israel. Post hæc traditur militibus ad illudendum: ipsa est militia spiritualis nequitiæ. Vide ordinem miseriæ. A principibus sacerdotum traditur principi tenebrarum, qui flagellis suis sibi mancipatum militibus suis exposuit altius illudẽdum, & postea nouissimè crucifigendum: post crucem enim non restat suppliciũ, quia peccatum morte terminatur: sed uitata iã morte maiori dæmonũ ludibrio peccator agitatur. Exuẽtes quippe eum ueste totius christiani decoris, quasi pro regio splendore chlamydem ei coccineam, hoc est uestimentũ mixtũ sanguine, circundant: cum propter crudelem sanguinolentiã à plerisque & honoratur, & circũdatur: unde & plectẽtes coronã de spinis ponũt super caput eius, cũ de rapina pauperũ spineas ei diuitias coacervãtes caput eius ad regnũ elationis efferũt. Vẽdicat enim pecunia, quod sapiẽtia sibi dicere solet: per me reges regnant, & cõditores legũ iusta decernũt. Vbi pecunia ibi rex, ibi lex, ibi clientiũ copia. Vnde & arundi-

nem in dextera eius ponũt: potestas enim & regnũ impiorum arundo est, uento agitata: regnum Christi, uirga ferrea. & bene in dextera arundo ponitur, quia dextera eorum dextera iniquitatis. Iam quod sequitur luce clarius est: quia genu flexo talibus illuditur, potius quàm seruitur, Aue rex Iudæorum: & expuentes in eum laudibus superuacuis (laudatur enim peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur) acceperunt arundinẽ & percutiebãt caput eius. A talibus enim rectoribus milites eorũ potestatẽ accipiũt nocẽdi & deuorandi paupes: quod totũ tamẽ redũdat in caput eius cu ius auctoritate se tuẽtur. Hæc tertia mors est, quãdo sedet fœtens in cathedra pestilentiæ: his mortibus infœlix anima ante extremã crucem morte afficitur: & quod miserabilius est, talibus opprobriis quasi pro magnis honoribus delectatur: & talis quotidie ducitur ad crucem, baiulans ipse sibi suæ damnationis supplicium.

Sed quid est quòd post illusionem chlamyde exuitur, & suis uestibus reinduitur, nisi quòd sæpe superbus Adam cũ per dolorẽ carnis confinia mortis ingreditur, deposita elatione ad putredinis suæ considerationẽ reuertitur? ubi uidelicet uel miseratione diuina pœnitentiæ fructus inuenit, uel post tremendum iudiciũ duplici cõtritione cõteritur. Sic Herodes cũ ueste regia præfulgidus plusquã decuit à populo ei acclamaretur, mox pcussus ab angelo, exutus chlamyde uestẽ suã reinduit, & cõsumptus à uermibus expirauit. Recte ne illusus est? Aue rex Iudæorũ. Quid supbis terra & cinis? quid ueste nitida gloriaris? subter te sternetur tinea, & operimẽtũ tuũ uermis est: hæc tua uestis est: illuserũt tibi qui

tādiu hic Petrus latro fuit, quādiu intus latitans Christum foris negauit: ideo & Petrum præcessisti in paradisum: quia qui te in cruce complexus est dux & rector tuus, eadem die quā ipse ingressus est fidelem & gloriosum militem secum te pariter introduxit. Egenus & pauper ego sum domine, & claudus ex utero matris meæ, & ecce sedeo ad portam tēpli tui quæ dicitur Speciosa, non ualens nec uolens introire, quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniā carnis meæ æreas & falsas imagines hominum, ubi coarceruem mihi talentum iniquitatis, fasciculos deprimentes: Et ecce hora orationis nona est, ascendunt Petrus & Ioannes apostoli tui ut orent ad templū sanctum tuū, ego autē hæreo terræ & luto, terrena & uana sapiēs, & aliis introeuntibus ego foris remaneo, non quærens cum eis ea quæ patris tui sunt, sed quæ primi parentis mei, qui me huc foras quotidie ponunt, & male concupierunt. Et ecce iā hora orationis nona est, inclinata est dies, prope est nox, cum surrexero mane diluculo de his quæ nunc mendico nihil in manibus meis reperiam. Hora inquam orationis nona est: orasti hac hora pendens in cruce, orasti inclinato capite clamans uoce magna & expirasti: orasti inclinato capite in spiritu humilitatis, clamans uoce magna altissimo & secretissimo affectu paternæ & nostræ charitatis: in illo domine clamore ualido expirasti, & eundem quem de nobis tunc habebas compassionis animum tecum asportasti: & credo domine quia tecum adhuc reseruas, quia charitas tua refrigescere nescit. Erat autem hora orationis nona: & quare nona orationis erat hora? quia

circa horam nonam tenebræ factæ sunt. Repellendus erat horror tenebrarum qui uniuersam operuerat terrā, repellenda caligo populorū, quæ ex tunc cœperat abundare, ex quo tu cœpisti ad auram post meridiē deambulare: ex tunc non cessasti clamans, ubi es Adam? sequens post tergum fugientis & abscondentis se quantum in ipso fuit, & dimissus est de paradiso uoluptatis, & peruenit usque ad condignum suæ cruciatum iniquitatis: sed nos, inquit, digna factis recipimus, hic autē quid fecit? O Adam quàm sero in hæc uerba prorupisti? modo te primum inueni. Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, ideo est hora orationis nona: nona orauit, nam decima paradisum intrauit: propterea non introibat claudus in templum, quia nondū usque ad decimam generationem peruenerat: sed Petrus ad eum, in nomine, inquit, Iesu Christi surge & ambula. Verè uos estis montes ad quos leuaui oculos meos, unde ueniet auxilium mihi: sed auxilium meum à domino, quia in nomine Iesu Christi surge & ambula: in uerbo Christi laxas rete, & in uerbo Christi claudum leuas: in uerbo Christi solidantur bases eius & plantæ: quæ sunt bases eius? fides & timor: & quæ plantæ? spes & charitas. ideo bene Petrus & Ioannes simul ascendebant, quorū alter fidei, alter charitatis insigne ferebat. Ascendebant ad templum tuū domine, tecum simul oraturi, ut & ipsi tecum simul introeant in paradisum sanctuarij tui: quia scissum est in morte tua uelamentum quod erat super faciem Moysi: sed noluerūt introire soli, quia nec tu domine solus paradisum introisti: tu latronē, isti claudū introducūt: sed neq; iā la-

tro in paradiso est, neque claudus in templo: quomodo enim claudus est qui stat, & ambulat, exilit, & dominũ laudat? aut quomodo latro est, si cũ Christo in paradiso? nõ enim iuxta te habitabit malignus. latro fuerat quãdo latebat ante cõfeßionẽ, iustus autẽ post orationẽ. quid enim orauit? Memẽto mei dñe ueneris in regnũ tuũ. O magna fides, ô magna spes, ô magna charitas: orat pro futuris, nõ præsentib9: nõ uult de cruce deponi, sed in regno Christi reponi: quid enim est aliud dicere q̃, cupio dissolui & cũ Christo esse? nescio quid Paulus magis isto latrone cupierit. Memẽto mei: O cor cõtritũ & humiliatũ! quid minus uel humilius potuit rogare q̃ ut sui memor esset? Memẽto mei: cuius mei? mei inq̃ tam indigni, tã peccatoris. iniquitatẽ meam ego cognosco, & peccatũ meũ cõtra me est: cõfundor oculos meos ad te leuare: tibi soli peccaui, tu solus potes à peccato meo mũdare: malũ corã te feci, cũ me tibi uolui celare: latro sum animæ meæ, homicidiũ quidem feci, uolui occultare, sed malũ corã te feci. memẽto mei, miserere mei. merito in hãc miseriã deueni, qui tuã beatitudinẽ deserui. diues erã, & ecce q̃ pauper factus sum! de omni ligno paradisi poterã comedere & delectari, & ecce crucior & morior in hoc ligno: memẽto mei, tui oblitus erã: sed tu cũ iratus fueris, misericordiæ memor eris: miserere mei secũdũ magnã misericordiã tuã: uideo in te magnã & tuam, hoc est, cõpetẽtẽ tibi misericordiã, quæ te mihi ad mei cõsimilem cõdescẽdere fecit miseriã: ego autẽ digna factis recipio: tu autem quid fecisti? uideo te mihi in pœna similem, quem in actu uideo tam dißimilem: nõ potuisti me longius sequi. unde uenisti? à summo cælo egressus es, de

DROGONIS PRIMVM ABBATIS *sancti Ioannis Laudunensis, deinde Hostiensis Episcopi, de sacramento dominicæ passionis.*

N *Oli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, & sedens super pullum filium subiugalis.* Veni domine Iesu, ueni desiderate cunctis gentibus, quia dormitauit anima mea præ tædio moræ tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orere sol amabilis ut exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad uesperam: & operetur non cibum qui perit, sed qui permanet in æternum. Noli timere filia Sion, timere pusillum est: ideo adhuc filia, quia times. Nondum Hierusalem, sed filia Sion hoc est specula. Ergo disce speculari, noli timere: quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucidè speculatur. Fides pupilla est oculi tui. Quomodo pupilla oculi est subtilissima, & nisi impigrè ac sollicitè custodiatur à palpebris, leuissimi & tenuissimi pulueris tactu confunditur: sic acies fidei, nisi peruigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. Sed noli timere filia Sion: Ecce rex tuus uenit tibi, oritur tibi sol, qui te & custodiat, & illuminet, & perducat te ubi puluis non est: uenit tibi mansuetus. qualis ipse est, talem te esse uult. mansuesce iugum eius portare, ut & ipse sedeat super te asinam suam, & pullum filium subiugalis. Et quæ est hæc asina? Ipsa quæ caro uocatur & mulier & uirago, quia de uiro sumpta est. Et quis est pullus eius? Mascu-

lus uir. Et *quomodo pullus eius est? Quia non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Sedet *prius rex mansuetus super asinam, postea super pullum: prius caro domatur, ut iugo habilis sit: deinde nascitur pullus, & nutritur & roboratur, ut sessorem suum portare possit.* Et *quare filius subiugalis? Quia sub uiro est mulier, & mulieris caput uir: & tamen filius est subiugalis, quia per mulierem uir: sed in dolore ipsa pariet.* Sedeat *super utrumque rex mansuetus faciens pacem, ne hæc sibi inuicem aduersentur: uenit tibi mansuetus, & tu non uadis ei.* Egredere *de terra carnis tuæ, & de cognatione matris tuæ, & de domo, id est, memoria patris tui.* Pater *tuus* Amorrhæ*us est, & mater tua* Chananæa. Huius *patris obliuiscere, & tunc concupiscat rex decorem tuum.* Decor *magnus est, si audis & uides & inclinas aurem tuam:* Audis *per obedientiam, uides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem. hic decor, hic omnis gloria abintus est in fimbriis aureis, hunc decorem tuum rex mansuetus concupiscit.* Egredere *ergo de ciuitate, quia uidit, inquit, iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* Egredere *cum pueris* Hebræis, *qui transeunt simpliciter in occursum domini.* Sterne *in uia ramos oliuarum & opera misericordiæ pedibus eius accommodes.* Accipe *frondes palmarum, ut triumphes de principibus tenebrarum.* Nihil *in te resideat quod in occursum* Iesu *non prodeat: quia nec una ungula in* Aegypto Pharaoni *relinquenda est.* Manus *& cor,*

linguæ concinant Osanna in excelsis.

Videns uidisti domine Deus afflictionem populi tui qui est in Aegypto, & inclinasti cœlos tuos, & descendisti liberare nos. Indulta est & mihi domine modica quies ab operibus tenebrarum durißimis, quibus mentem meam uehementer afflixit importunus exactor Pharaonis. & sabbati tui præparatio iam lætificauit animam meam. Veruntamen nondum usque ad speculum perueni, ubi plenius intelligam pustulas & næuos qui maculant faciem meam, quæ ualde displicent in oculis tuis. quoniam & si lauero me nitro, & multiplicauero mihi herbam borith, maculata sum in iniquitate mea. Et nunc domine paßionis tuæ dies urgere nos deberent magis quàm præpositi Pharaonis: quoniam in operibus tuis iustitia est & pax & gaudium in spiritu sancto. Nos autem dormitamus, te domine pro nobis orante, quia oculi nostri tempore nostro grauati sunt. Suscita nos ut uigilemus & oremus, ne incidamus in tentationem: quoniam tribulatio proxima est nobis. Quàm citò clauditur oculus ne te uideat, collabitur pes noster in hoc mare magnum & spatiosum manibus, ubi sunt reptilia quorum non est numerus: quæ somniorum suorum fantasiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, unde non facilis ad superiora reditus est: nisi tu emittas manũ tuam de alto, & liberes nos de aquis multis. Suscita nos domine, ut tecũ uel una hora uigilemus & oremus. Quis autẽ est qui tecũ una hora uigilet? Auulsus enim es à nobis quãtum iactus est lapidis, & agonizas prolixius, ita ut

gutta sanguinis tui decurrat in terram. Longè longè auulsus es à nobis, quia lapis est abscissus de monte sine manibus, & iactus est lapis, & percussit Goliam in fronte, & statuam in pedibus. Iste est iactus tuus longè à nobis, quia etiam adusque interiora uelaminis præcursor introisti pro nobis, ubi semper interpellas patrem. Sed utinam gutta sanguinis qui de agone tuo sudat, usque ad terram nostram decurrat, & aperiat terra os suum, & bibat illum & clamet ad te, & tecum ad patrem, melius quàm sanguis Abel. Quis autem est domine qui tecum una hora uigilet? Etiam in cælo non est factum silentium, nisi quasi media hora. Quanto minus in terra una hora uigilabimus tecum? Quoties & redis ad nos, & inuenis dormientes: & tamen benigne suscitas nos, & iterum abis secundo & tertio eundem sermonem dicens? Statim autem ut recesseris, iterum somnus occupat nos, nec uigilare possumus nisi quandiu nobiscum es & suscitas nos. Venis in secunda & in tertia uigilia, sed beatus ille seruus, quem tunc inueneris uigilantē. Iam primæ & quartæ uigiliæ nulla mentio fit: quia nec primæua ætatis sensum recipit uigilandi, nec ultima spem prolixius dormiendi. Et quid est domine quòd tertio rediens copiam dormiendi præstas? dormite iā, inquis, & requiescite. Nunquid aliū concedis somnum, ubi requiescitur, & alium prohibes in quo oculi grauantur? Ita est. Qui enim uigilat in te, suauiter dormit, & silet, & somno suo requiescit: qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte nesciens grauiter agitatur. Tristis est, inquis, anima mea usque ad mortem. Anima tristis est, quæ expectat mortis tribula-

tionem. Quis enim sciat utrum ad sinistram an ad dextram eat? quis enim sciat quomodo respondeat ad arguentem se, quando iudex sicut parturiens loquitur? Ideo tristis anima similis fiat pellicano solitudinis, quae odit ciuitatem & conuenticula eorum de sanguinibus & macie solitudinis pallet, ut sicut nycticorax in parietinis scripturae, quaerat sibi escam tota nocte, & euolet in passerem super tectum uigilantem, & cauentem quãdo ueniat fur. Vel Iudam non uidetis, quomodo non dormit? Quàm peruigiles habet oculos auaritia? quomodo circuit orbem terrae? non cessat manus eius, nõ cessat pes, & coacervat sibi iram in die irae. Et tamen dormit Simo, dormit Iacobus & Iohannes. Quare? Quia non attendunt quid post paululum futurum sit. periculi magnitudo somnum fugat. Nunquid dormiuit Petrus in atrio? Nunquid dormierunt qui relicto eo fugerunt? Nunquid dormiuit adolescens, quando tenuerunt eum, & ille reiecta syndone nudus profugit? Et tamen frigus erat, quia stabat Petrus & calefaciebat se. Magnitudo periculi & frigus & famem facit obliuisci. Euigila tandem, euigila miserabilis anima, si non amore, saltem timore. Cogita saltem cruciatũ, quem iam passura es in morte. certè nulla crux est durior, quàm mors. Mors inquã ipsa est durissima crux, quae tibi paratur, ad quam quotidie tu festinas, & non attendis. uide quomodo te mors crucifigit: corpus rigescit, crura distenduntur, manus & brachia decidunt. pectus anhelat, ceruix languescit, labia spumant, oculi stupescũt, facies exudat, uultus horrescit, & uelut testa pallescit. ista manet crux te, nescio utrum in lectulo molli, an in cruce rigida sua-

uius moriatur: nisi quòd crux citius dolorē abscindit. Quæ uidemus & sentimus leuia sunt, ad ea quæ intus anima iam prægustat. Nam sensus à corpore cito recedit, animam sua mors semper comitatur. Quum ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea. Si uita nostra proficeret, rota sanctæ scripturæ nobiscum ambularet, sed quia per paludes & saxa pedibus euntes offendimus, uix rotæ nos sequuntur. Paßio domini celebratur, & nos uoluptati operam damus. Clamat nobis de cruce, O uos omnes qui transitis per uiam, attendite & uidete si est dolor similis sicut dolor meus: & nemo est qui audiat, nemo est qui consoletur, nemo est qui respondeat. Sitio, inquit. domine, quid sitis? Ergo ne plus cruciat sitis, quàm crux? de cruce siles, & de siti clamas, Sitio: Quid? uestrā fidem, uestram salutem, uestrum gaudium: plus animarum uestrarum q̃ corporis mei cruciatus me tenet. O uos omnes qui transitis per uiam, attēdite & uidete si est dolor similis sicut dolor meus. Attendite dolorem meū, ut in dolore meo uideatis dolorē uestrum: dolor meus imago uestri doloris est. Quod attenditis in corpore meo, attendite & uos, si similis dolor nō est in corde uestro: trāsitis à uobis ad me; retransite à me in uos: & uidete si similis dolor in uobis, sicut dolor meus. Nolite flere super me, sed super uos ipsas flete filiæ Hierusalē. Nam ille dolor quē transitis, & non attenditis, magis est flendus quàm dolor meus: propter scelus enim uestrum percussus sum. Hæc nobis de cruce tua clamas, ô benigne Iesu, & si non uerbis, tamen ipsa re: quid tibi respondeam? quid loquar? aut quid retribuā? fecisti ergo mihi de corpore

tuo speculū animæ meæ. Nesciebā cōtumelias & terrores, & colaphizantē me incessanter satanā, nisi uiderē artem medicinæ tuæ similia similibus curantem, & appenderem in statera hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas uellentibus: faciem tuam non auertisti à conspuentibus in te, ut alapæ tuæ alapas meas remoueant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrā tium quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobriū sempiternum. Hæc sunt linteamina mundißima carnis tuæ, quibus uulnera mea alligasti, ô Samaritane misericors: ut imponeres me super iumentum tuum, & perduceres in stabulum: quoniam uerè languores nostros ipse tulisti, & dolores nostros ipse portasti: cuius liuore sanati sumus. In domo ergo principis sacerdotum uelata facie colaphizatur Christus, quia in domo consciētiæ cæcata mente colaphizatur christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto: & quod ille foris à ministris Caiphæ, ego intus à nequitiis satanæ: quia super dorsum meum fabricauerunt peccatores, faciem mihi uelauerunt, faciem meam in terra defixerunt & dorsum meum incudem suam fecerunt, & super dorsum meum fabricauerunt peccatores: sed adhuc intra domum contineor, ubi puella moritur & suscitatur: nam & ibidem Petrus negauit, dicens: ô homo, nō sum: hominem attendo, non Deum: hominem timeo, nō Deum, cuius ueritatem nego. Nonne tibi Petrus in his uerbis uelatam habuisse faciem uidetur? unde tertio colaphizatus est, quia tertio negauit. Et Paulus tertio rogauit dominum, ut auferret à se angelum satanæ qui eum

colaphizabat. Vterque ergo apostolus colaphizatus est, uterque naufragium passus: ille intus, iste foris. uoluisset quidem satanas, si tamen licuisset, tam diu Petrum *colaphizãdo cribrare sicut triticum, donec omnem ab eo fidei medullam excussisset, sed ego, inquit,* Petre *rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: unde respexit eũ* Chri*stus, & egressus foras fleuit amarè.* Tam diu *faciem habuit uelatam* Petrus, *donec respexit eum* Christus. Sed *nunquid non etiam prius respiciebat? etiam: sed* Petrus *respicientem se* Christum *non respiciebat: quia uelatam faciem habebat.* Vnde *bene alius* Euangelista: *& recordatus est, inquit,* Petrus: *recordatus* Petri, *respectus fuit* Christi: *ergo cum peccatorem flendo recordaris, à* Christo *uideris: imò sublato uelamine* Chri*stum uides.* Et *egressus foras propterea negabat, quia intus esse nolebat: & tamen quando negauit, foras egressus est: unde foras? de domo* Christi, *de domo fidelium.* At *ubi de domo* Caiphæ *foras egressus est, in domum* Christi *intromissus est.* Quot *sunt hodie qui dicunt, nos sumus de domo* Christi, *nos sumus de domo* Ecclesiæ, *& sunt de domo* Caiphæ, *hoc est hypocrisis? quod* Petrus *negando, hoc isti faciunt affirmando: sed nisi confitendo exeant foras, & amarè fleant, non intrant in* Ecclesiam Christi. A*maritudo fletuum, uelamen diluit oculorũ.* In *domo ergo* Caiphæ *colaphizatus est* Christus, *quia in domo* Caiphæ *colaphizatur* Petrus: Et *quod* Petrus *à satana intus passus est, hoc* Christus *à ministris satanæ foris pertulit.* Attende *& uide, si est dolor similis sicut dolor meus.* Vide *quis grauiora pertulit opprobria,* Christus *foris in corpore, an*

Petrus intus in corde. Sed iam ad Pilatum eatur. Mane autem facto uinctus adducitur ad Pilatū. quādiu culpa latet, nox est: at ubi cœperit innotescere, mane fit: tunc iam ligatur à principibus sacerdotum, & traditur Pilato, hoc est, principi tenebrarum, sicut & apostolus iubet huiusmodi tradere satanæ in interitum carnis. Effertur adolescens de domo ad portam ciuitatis, ubi sedet Pilatus pro tribunali: in porta enim ciuitatis iudiciū solebat fieri: Pilatus autem apprehensum flagellauit. Sæpe dum culpa retegitur per impudentiam peccatorū effrenatur, augentur flagella, plagæ multiplicantur. Multa enim flagella peccatorum: his flagellis sæculi Pharao cædebat filios Israel. Post hæc traditur militibus ad illudendum: ipsa est militia spiritualis nequitiæ. Vide ordinem miseriæ. A principibus sacerdotum traditur principi tenebrarum, qui flagellis suis sibi mancipatum militibus suis exposuit altius illudēdum, & postea nouissimè crucifigendum: post crucem enim non restat suppliciū, quia peccatum morte terminatur: sed uitata iā morte maiori dæmonū ludibrio peccator agitatur. Exuētes quippe eum ueste totius christiani decoris, quasi pro regio splendore chlamydem ei coccineam, hoc est uestimentū mixtū sanguine, circundant: cum propter crudelem sanguinolentiā à plerisque & honoratur, & circūdatur: unde & plectētes coronā de spinis ponūt super caput eius, cū de rapina pauperū spineas ei diuitias coaceruātes caput eius ad regnū elationis efferūt. Vēdicat enim pecunia, quod sapiētia sibi dicere solet: per me reges regnant, & cōditores legū iusta decernūt. Vbi pecunia ibi rex, ibi lex, ibi clientiū copia. Vnde & arundi-

nem in dextera eius ponũt: potestas enim & regnũ impiorum arundo est, uento agitata: regnum Christi, uirga ferrea. & bene in dextera arundo ponitur, quia dextera eorum dextera iniquitatis. Iam quod sequitur luce clarius est: quia genu flexo talibus illuditur, potius quàm seruitur, Aue rex Iudæorum: & expuentes in eum laudibus superuacuis (laudatur enim peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur) acceperunt arundinẽ & percutiebãt caput eius. A talibus enim rectoribus milites eorũ potestatẽ accipiũt nocẽdi & deuorandi paupes: quod totũ tamẽ redũdat in caput eius cuius auctoritate se tuẽtur. Hæc tertia mors est, quãdo sedet fœtens in cathedra pestilentiæ: his mortibus infœlix anima ante extremã crucem morte afficitur: & quod miserabilius est, talibus opprobriis quasi pro magnis honoribus delectatur: & talis quotidie ducitur ad crucem, baiulans ipse sibi suæ damnationis supplicium.

Sed quid est quòd post illusionem chlamyde exuitur, & suis uestibus reinduitur, nisi quòd sæpe superbus Adam cũ per dolorẽ carnis confinia mortis ingreditur, deposita elatione ad putredinis suæ consideratione reuertitur! ubi uidelicet uel miseratione diuina pœnitentiæ fructus inuenit, uel post tremendum iudiciũ duplici cõtritione cõteritur. Sic Herodes cũ ueste regia præfulgidus plusquã decuit à populo ei acclamaretur, mox pcussus ab angelo, exutus chlamyde uestẽ suã reinduit, & cõsumptus à uermibus expirauit. Recte ne illusus est! Aue rex Iudæorũ. Quid supbis terra & cinis! quid ueste nitida gloriaris! subter te sternetur tinea, & operimẽtũ tuũ uermis est: hæc tua uestis est: illuserũt tibi qui

tādiu hic Petrus latro fuit, quādiu intus latitans Christum foris negauit: ideo & Petrum præcessisti in paradisum: quia qui te in cruce complexus est dux & rector tuus, eadem die quā ipse ingressus est fidelem & gloriosum militem secum te pariter introduxit. Egenus & pauper ego sum domine, & claudus ex utero matris meæ, & ecce sedeo ad portam tēpli tui quæ dicitur Speciosa, non ualens nec uolens introire, quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniā carnis meæ æreas & falsas imagines hominum, ubi coarcer uem mihi talentum iniquitatis, fasciculos deprimentes: Et ecce hora orationis nona est, ascendunt Petrus & Ioannes apostoli tui ut orent ad templū sanctum tuū, ego autē hæreo terræ & luto, terrena & uana sapiēs, & aliis introeuntibus ego foris remaneo, non quærens cum eis ea quæ patris tui sunt, sed quæ primi parentis mei, qui me huc foras quotidie ponunt, & male concupierunt. Et ecce iā hora orationis nona est, inclinata est dies, prope est nox, cum surrexero mane diluculo de his quæ nunc mendico nihil in manibus meis reperiam. Hora inquam orationis nona est: orasti hac hora pendens in cruce, orasti inclinato capite clamans uoce magna & expirasti: orasti inclinato capite in spiritu humilitatis, clamans uoce magna altissimo & secretissimo affectu paternæ & nostræ charitatis: in illo domine clamore ualido expirasti, & eundem quem de nobis tunc habebas compassionis animum tecum asportasti: & credo domine quia tecum adhuc reseruas, quia charitas tua refrigescere nescit. Erat autem hora orationis nona: & quare nona orationis erat hora? quia

tro in paradiso est, neque claudus in templo: quomodo enim claudus est qui stat, & ambulat, exilit, & dominũ laudat? aut quomodo latro est, si cũ Christo in paradiso? nõ enim iuxta te habitabit malignus. latro fuerat quãdo latebat ante cõfeßionẽ, iustus autẽ post orationẽ. quid enim orauit? Memẽto mei dñ ueneris in regnũ tuũ. O magna fides, ô magna spes, ô magna charitas: orat p futuris, nõ præsentib9: nõ uult de cruce deponi, sed in regno Christi reponi: quid enim est alind dicere q̃, cupio dissolui & cũ Christo esse? nescio quid Paulus magis isto latrone cupierit. Memẽto mei: O cor cõtritũ & humiliatũ! quid minus uel humilius potuit rogare q̃ ut sui memor esset? Memẽto mei: cuius mei? mei inq̃ tam indigni, tã peccatoris. iniquitatẽ meam ego cognosco, & peccatũ meũ cõtra me est: cõfundor oculos meos ad te leuare: tibi soli peccaui, tu solus potes à peccato meo me mũdare: malũ corã te feci, cũ me tibi uolui celare: latro sum animæ meæ, homicidiũ quidem feci, uolui occultare, sed malũ corã te feci, memẽto mei, miserere mei. merito in hãc miseriã deueni, qui tuã beatitudinẽ deserui. diues erã, & ecce q̃ pauper factus sum! de omni ligno paradisi poterã comedere & delectari, & ecce crucior & morior in hoc ligno: memẽto mei, tui oblitus erã: sed tu cũ iratus fueris, misericordiæ memor eris: miserere mei secũdũ magnã misericordiã tuã: uideo in te magnã & tuam, hoc est, cõpetẽtẽ tibi misericordiã, quæ te mihi ad mei cõsimilem cõdescẽdere fecit miseriã: ego autẽ digna factis recipio: tu autem quid fecisti? uideo te mihi in pœna similem, quem in actu uideo tam dißimilem: nõ potuisti me longius sequi. unde uenisti? à summo cælo egressus es, de

utero uirginis speciosus forma processisti, & mecum pendes in ligno. quis huc te adduxit? sola misericordia: secundum hanc magnam misericordiam tuam miserere mei Deus: Deus es, non homo tantum: Deus es, ego homo, ego plasma tuum, ego quem fecisti ad imaginem & similitudinem tuam: imaginis tuæ Deus miserere: sed in quo te agnoscam misereri? in eo quòd imaginem meam in te uideo similem, & eandem mecum miseriam pati: quid ergo restat nisi ut sperem? de tanta misericordia quis inquam possit desperare? ergo memento mei dum ueneris in regnum tuum: uadis ad regnum tuum, implesti negocium tuum: ad hoc uenisti ut me reducas tecum, tecum ire concupisco, & hanc amarissimam mortem pati non contremisco, non erubesco: quomodo enim contremiscerem ubi te mecum esse uiderem? etiam si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es: aut quomodo erubescerem quod te dominum cæli portare uiderẽ? qui enim te erubuerit & tuos sermones, hunc erubesces cũ ueneris in maiestate tua, & patris & sanctorum angelorum. qui non baiulat crucem suam & sequitur me, non est meus discipulus: hic est sermo tuus: qui hunc sermonem erubuerit, hunc tu erubesces: qui enim erubescit crucem tuam, erubescit gloriam tuam: mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: crux gloria tua est, crux imperiũ tuũ est: ecce imperium tuum super humerũ tuum: portas portantem te: qui portat crucem tuam, portat gloriam tuã: qui portat gloriam tuam, portat te: portãtem autẽ te tu portas super humerum tuũ, quia imperium tuũ super humerum tuũ: ergo qui te portãt, imperiũ tuũ sunt: in ipsis

enim tu regnas ô maxime imperator: sed quo modo, aut quo portas imperiũ tuũ? super humerum tuũ: humerus tuus altus est, humerus tuus fortis, humerus tuus pertingit usque ad patris consessum, super omnem principatũ & potestatẽ, & uirtutẽ: illuc perducis ouem cẽtesimã, illuc deducis ouem Ioseph: *ad dexteram patris deducitur ouis* Ioseph: *uade iam secura ouis* Ioseph, *Christus te portat super humerum suum: fortis est humerus eius, noli timere: altus est, noli ad ima respicere, quia nemo mittens manũ suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno* Dei. *Graue iugum super filios* Adã *à die natiuitatis eorum, usque ad diem reuersionis in matrem omniũ: quãdiu sum filius ueteris* Adam, *graue iugum porto: si essem filius noui* Adam, *leue iugum portarem. quod est iugũ graue? talentũ plumbi: & quod est onus leue? crux* Christi: *illud sicut scriptũ est, submergitur in aquis uehemẽtibus, istud enatat super aquas: mira res. nihil formidolosius homini q̃ crucem pati: sed quare timent homines crucem? quia latrones sunt: si latrones non essent, crucem nõ timerent: ergo qui timet latro est: quomodo inquis latro est? audi* Christum: *uos autem, inquit, fecistis eam, id est domum meam speluncam latronum: templũ* Dei *sanctum est quod estis uos: faciũt ergo homines seipsos speluncam latronũ, iugulant homines & trahunt in speluncam suam. Quod enim maius homicidiũ, quàm ut seipsum interficiat homo? uel quod grauius homicidium, corpus occidere, an spiritum? O quoties homo spiritum suum interficit, quot homicidia in semetipso perficit? quoties uoluntariè & ex studio peccatum perpetrat, quid aliud quàm seipsum iugulat?*

omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit: gladius animæ peccatum est: peccatũ animæ mors est. qui hunc gladium manu propriæ deliberationis acceperit, hoc est, acceptum habet & gratum, primus in seipsum manum mittit, primus semetipsum interficit: gladius, inquit, eorum intret in corda illorum: nec satis est semel occidere & quiescere, millies & millies crudeles in se manus conuertunt, & ueloces sunt pedes eorum ad effundendum sanguinem suum, uiri sanguinum & dolosi: quomodo dolosi? quia congerunt cadauera mortuorũ in speluncam suam, & operiunt aggere terræ, ne uel ipsi uideant, uel ab aliis uideantur: nolunt ipsi uidere, ne horrorem uel putorem ingerant eis in faciem morticina fœtentia: nolunt uideri, ne forte deprehensi tanquam latrones homicidæ ad horrenda supplicia pertrahantur. Quid autem in omnibus suppliciis tam horrendum quàm crux? ideo timent crucẽ latrones, quia crux scelerum uindex est, crux impiorum pœna est, crux æqua lance iudicat & remunerat, hinc nocentes, illinc innocẽtes: ideo crux impiis formidolosa, piis autẽ sup omnia ligna paradisi gratiosa est. Nũqd enim Christus crucẽ timuit? nũquid Petrus? nũquid Andreas? imò & optauit: exultauit enim ut gigas ad currendã uiã. & desiderio, inquit, desideraui hoc pascha mãducare uobiscũ antequam patiar. Manducauit pascha cum discipulis, manducauit pascha & cum passus est, quando transiuit ex hoc mundo ad patrem: ego, inquit, habeo cibum manducare quem uos nescitis. meus cibus est ut faciã uoluntatem patris mei, & uoluntas patris est ut calicem bibam. Ergo in cruce manducauit & bibit, & inebria-

tus est, & dormiuit, & risit uerenda eius maledictus Cham: filij autem reuerentes, altissimi soporis mysteriũ pallio contexerũt. Immisit *quippe dominus soporem in* Adam *& tulit unã de costis eius, & ædificauit in mulierem, & adduxit eã ad* Adã. *Manifesta res est quia dormitauit* Christus *, & soporatus est* Christus, *& de latere eius quotidie ædificatur, & pascitur, & nutritur* Ecclesia, *& adducitur à finibus terræ, ut adsistat regina à dextris in uestitu deaurato circundata uarietate.* In *cruce ergo pascha manducauit, quia ascendit in palmam, & collegit fructus eius.* Cum *exaltatus, inquit, fuero, omnia traham ad me: quæ omnia? cælum, terram, & inferos: traxit ad se patrem, quia clamor eius introiuit in conspectu eius, in aures eius, & contremuit terra, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, quia uocem filij* Dei *audierunt.* Sic *mediator* Dei *& hominum medius inter cælum & terram pascha manducabat, & fructus arboris undique colligebat, quos in corpus suum traiiciebat, quia confluebant omnia ad arborem uitæ, quæ erat in medio paradisi: restincta enim erat framea, quæ uiam intercluserat.* Quis *ergo amplius crucem timeat? in cruce enim pendet omnis fructus uitæ, quia ipsa est arbor uitæ quæ est in medio paradisi: ipsa est altitudo, latitudo, sublimitas & profundum: ipsa bonos colligit, & remunerat. ipsa malos disperdit & condemnat: ipsa est mœstorum consolatio, esurientium refectio, perfectorum gloriatio.*

Circuire *possum domine cælum & terrã, mare & aridã, & nusq̃ te inueniã nisi tãtũ in cruce: ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie: crux enim tua fides est, cu-*

Absalon, quia grauabat eum cæsaries & non nisi semel in anno tondebatur, & crines suos pōderabat ducentis siclis pōdere publico, unde in eodem crine suspēsus ad arborem interiit. Absalon patris pax, ipse est & Iudas, & quicunque in pace Christo est amaritudo amarissima. Aue rabi. uoce & osculo patri pacem ferebat, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Homo, inquit, pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. unus est, & multi sunt. Ecce Absalon, ecce Iudas, ecce corpus satanæ. Sed quo modo comam nutriebat? fur erat, & loculos habebat, ista enim Cæsaries grauabat: & semel in anno tonsus est, quando semel retulit triginta argenteos, & proiecit eos in templo, quos ponderauit ducentis siclis, qui numerus immundorum est, & hoc pōdere publico, non pondere sanctuarij: pœnitentia enim ductus peccatum suum ualde ponderauit: peccaui tradens sanguinem iustum. Singula uerba plena sunt ponderibus, sed pondere publico, non pondere sanctuarij, quia plus erubuit infamiam, quàm conscientiam: plus suam nequitiam, quàm Dei misericordiam ponderauit. Audi pondus sanctuarij: peccaui, malum coram te feci, dele iniquitatem meā: hinc iniquitatem meam ego agnosco, illinc misericordiam tuam magnam attendo, miserere mei Deus. Audi & pondus publicum, maior est, ait Chain, iniquitas mea quàm ut ueniam merear: retulit ergo trignta argenteos & proiecit in templo. uide quātum magni ponderabat eos: non proiecit eos in sterquilinio, sed in templo: nimirum talibus semper diis templum suum deuouerat: auaritia enim simulachrorum ser-

uitus est, & auaritia excæcat oculos sapientium. Ecce infœlix qualiter excæcatus est: maluit seipsum perdere quàm denarios perire. denarios templo, seipsum laqueo addixit: amabat hæredes suos qui eosdem denarios exinde colligerent, qui etiam nunc reseruant in suo corbano: proiecit eos in templo, & abiens laqueo se suspendit. Iandiu quidem quòd à Christo recesserat, & auaritiæ laqueo se suspenderat; sed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit. Exterioris pœnæ qualitas supplicij modum aperuit, quia per quæ peccauerit homo, per hæc & punietur: suspensus crepuit medius, plenus erat uenter, & ruptus est uter: crepuit medius ubi sedes erat satanæ, crepuit ergo uas contumeliæ, quia non erat de uasis figuli quæ probantur in fornace: propter quod in agro figuli in sepultura peregrinorum sortem non habuit, sed uelut testa crepitans per inane dissoluitur, & diffusa sunt omnia uiscera eius. Pecunia, uiscera sunt auari: illa diffunduntur & perduntur, sed uiri misericordiæ colliguntur. Pendet adhuc Iudas & Absalon per comam capitis sui, & mulus cui sederat pertransit. Nolite fieri sicut equus & mulus, quia mundus transit & cõcupiscentia eius. Crinis Absalon quo suspenditur, radix omnium malorum auaritia est: ubi hæc radicauerit, omnium malorũ cæsaries abundabit. Mulus uerò ex equo & asino mixtus, duplex est animus, qui foris ostentat quod intus non seruat. Talis erat Iudas, talis Absalon, foris pietas, intus malitia, duplex iniquitas. Equus manifeste tumet, asinus simpliciter ambulat, mulus nequam & subdolus incautum præcipitat.

Aperi nobis domine, aperi nobis ostiũ lateris tui, quod

est in arca tua, ut introducas nos cum mundis animalibus septena & septena. Tu es uerus Noe quem solum inuenit Deus pater tuus iustum coram se: hic est, inquit, filius meus dilectus in quo complacui: tu cognoscis oues tuas, & ipsæ te agnoscunt, quia sunt animalia munda septena & septena, qui septiformi gratia & operibus lucis sabbatum ex sabbato adepti, iam digni sunt octauæ conscribi: qui numerus tantum in arca saluatus est. Introduc & nos ad te per ostiū lateris tui, quod est fides ecclesiæ, & claude ostium a foris donec pertrāseat iniquitas, & cessante diluuio iterum nobis aperias ostium, non iam fidei, sed spei ostium, contra ostium quod in montis ædificio Ezechieli prophetæ monstratum est: interim tamē & fenestrā habes in arca, per quā dilectus mittit manū suā, & columbā suā excitat, surge, inquiēs, amica mea, speciosa mea, & ueni, & cum euolat post te, ut apprehēdat te, tu effugis & ascēdis sup cherubin, & uolas sup pēnas uētorū, ut nō inueniat pes colūbæ tuæ solidū quid de te ubi requiescat, nisi iterum ad arcā tuā reuertatur, & tu manu apprehensam iterū in sua māsiūcula reponas. tutius est enim in portu fidei interim præstolari & quiescere, q̄ te nimis & frustra insequendo in aquas diluuij intransmeabiles decidere & submergi. A quæ enim quæ à dextro tēpli latere effluūt, mille passus mēsuratæ, usq; ad talos ueniūt: & post alios mille passus, usq; ad genua: iterū post alios mille, usq; ad renes ascēdunt: post alios autem mille passus in tantum crescit & intumescit fluuius ut terris uadari non posit, sed oporteat retro potius redire ad solidum ripæ: ideo sancta animalia ibant & reuertebantur. co-

lumba quoque cũ non inueniret ubi pes eius requiesce-ret, ad arcam reuersa est. At uerò coruus semel emissus nesciát reuerti, quia non simplici oculo persequens uanitatis diluuio interceptus est, & merito. Quid enim colũbæ & coruo? quid candido & nigro? quid Iudæ & Ioanni? quid Christo & Belial? & tamen Christus inter Iudam & Ioannem medius sedet: inter electũ & reprobum latronem medius pendet, & Noe inter coruum & columbam: sed coruus semel emissus non est reuersus, quia Iudas egressus in aere submersus est. Sed quid est ô domine quòd unus ex militibus lancea latus tuum aperuit? quis est ille unus ex militibus, nisi forte ille qui tunicam tuam inconsutilem sorte accepit? ipsa est nimirum unitas fidelium, quæ tibi soli militat, cuius lancea prædicationis cunctis credentibus latus tuum aperuit: uiuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: hæc est illa lancea quam Abacuc propheta fulgurantem hastam nominat: hãc hastam cum urceo aquæ tulit David à capite Saulis inimici sui dormientis, quia superbis & inuidis ac negligentibus sermo sapientiæ simul cum gratia subtrahitur, sed dormientem filius Saruiæ confodere uoluit semel, ut secundo opus non esset, nisi hunc David benignè prohibuisset: quia peccatorem pigrum & contemnentem nisi misericors & longanimis patientia dei sustineret, gladius satanæ, hoc est iniquitas sua, in æternũ interficeret. Vult enim improbus satan quatinus qui dormit nõ adiiciat ut resurgat. At uerò misericors David de longinquo uertice sæpius inclamat: nónne respondebis Abner? retribuis enim peccatori mala pro bonis mitissime

Dauid, & admones & expectas diutius ut respõdeat tibi unum pro mille: illis autem uox tua improba uidetur, quia inquietum eorum somnum inquietas: quis es tu, inquit, qui clamas, & inquietas regem? ab increpatione tua domine dormitauerunt qui ascenderunt equos: nec euigilare eos uult auriga ipsorum, donec præcipitet in profundum: rex enim impiorum superbia in umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus, & protegunt umbræ umbram eius. Ipse est Abner qui protegit Saul. Cur, inquit, inquietas regem? compungitur tamen aliquando & superbum cor ad uocem Dauid, sed non usque ad correptionem. Flectitur humilimis sermonibus superbus Saul, dicẽte Dauid: Quem persequeris rex Israel, quem persequeris? canem mortuum & pulicem unum, sicut perdix in montibus. Non sine causa, uel cani mortuo, uel pulici, se comparat Dauid: melior est enim canis uiuus leone mortuo: melior est canis uiuens Deo, mortuus mundo: quàm leo superbus & reprobus, mortuus Deo, uiuens seculo. Pulex paruulus & mordet & salit: sic humilis iustus carnalium uitia mordet confidẽter, & salit in montibus, ubi tutissimũ habet refugium ut non timeat perdicem adulteram, quæ persecuta est Heliam, & Ioannem baptistam interfecit. Da mihi domine portionem in terra uiuentiũ, in sepultura peregrinorũ, in agro Aceldama, qui precio magno sanguinis tui emptus est: ibi enim sepulti sunt omnes patres nostri, qui super terram hanc aduenæ fuerũt & peregrini: ibi Abrahã pulcherrimam coniugem suam Saram in spelunca duplici sepeliuit. Sed quid est ꝙ nec gratis agrum ipsum accipere uoluit, nec in electis eorũ

sepulchris mortuum suum sepelire: quia nec sine precio sanguinis Christi gratis se per se ipsum saluandum credidit, nec bonum sibi æstimauit esse si in fœtentibus mūdi sepulchris habitaret. In electis, ait, sepulchris nostris sepeli mortuum tuum. Habet mundus electa sepulchra: illos utique quos elationis fastigium, uel superstitionis operositas perspicuos reddit. Tota Aegyptus sepulchris plena est: neq; enim erat domus in qua non iaceret mortuus. Illa sepulchra in deserto desiderabant filij Israel: deerant nobis, inquiunt, in Aegypto sepulchra ut cadauera nostra iaceant in deserto nuda & inhumata. In talibus sepulchris noluit mortuum suum sepelire sanctissimus patriarcha: sed ubi? in spelunca duplici, ubi spes bonorum operum & amor cōtemplatiuæ requiescit: ibi enim & Lia condita iacet: ergo Sarra & Lia in spelunca duplici simul absconditæ sunt. Illa prius sterilis postmodum iam senex filium gaudij unum tantummodo peperit: hæc post sex filios parere cessauit, nisi quòd nouissime filiam sacri generis ignominiam peperit. Mira res: hæc quæ sex habuit filios, parere cessare dicitur: illa quæ unum tantummodo, parere cessare nō memoratur. sed actiua finem habet, contemplatiua semper parit: illa in dolore, ista in gaudio parturit: & tamen utraq; in eodē agro sepulta est. Nā Rachel iuxta Bethleē subter silicē crucis posita est: nimirū sedet ad pedes Iesu, ut de domo panis semper fœcunda pariat. ergo Sarra & Rachel nunq̄ parere cessabūt: Lia uerò post sex filios aut omnino parere cessat, aut filiam parit: ipsa est carnalis uoluptas, quæ sub specie discretionis nonnūquam subrepit actiuæ, sed tamen si uerè uidua fuerit

saluabitur, non per filiæ, sed per generationem filiorum.

In spelunca itaque duplici patriarchæ nobiles unà cum suis coniugibus sepulti sunt: habitarunt enim in tabernaculis sicut aduenæ & peregrini super terrã, ideo sepulturam peregrinorum tam ipsi quàm tota eorũ successio hæreditate possidēt. Sed quid est quòd Iacob grãdæuus maiore quàm cæteri ambitione, suauitate, & gloria ibidem à filio suo Ioseph sepultus est? Per Iacob grãdæuum perfecta charitas exprimitur, in qua pater à filio imò cum filio consepelitur, dicente ipso: quia si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus. Hæc est illa gloriosa & suauis sepultura patris antiqui dierum, qui diligentes se sibi consepelit, & abscondit eos in abscondito faciei suæ à contradictione hominum. Illuc & ossa Ioseph saluatoris nostri memoria ex Aegypto quotidie referuntur à filiis Israel: non enim in Aegypto ossa Ioseph Deus reliquit, quia fœtentia & dealbata sepulchra detestatur. Et Moysen Deus sepeliuit, sed sepulchrum eius usque in hodiernum diem ab homine non inuenitur. Denique quis poterit illuc ascendere ubi ille ascendit per medium nebulæ in altissimum montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & uidit & perscrutatus est exemplar tabernaculi admirabilis quod fixerat Deus & non homo? propterea usque hodie dum legitur Moyses, uelatam habet faciem: quia ab homine mortali sepulchrum eius non inuenitur. In eodem agro sanguinis & gloriosa regum linea sortem recepit, qui sepulti sunt in sepulchro patrum suorum in Hierusa-

lem: illic & prophetarum uisio, & Machabæorum bellicosa uirtus gloriosè decorata est.

Cõparetur iã si placet huic sepulturæ peregrinorũ, illa quondam gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum turris Babel. Quid simile huic nostræ sepulturæ reperitur? ibi una in plures lingua discinditur: hic quinque ciuitates Aegypti, non iam lingua Aegyptia nec Chananitide loquũtur, sed ciuitas solis uocatur una. De illa siquidem turre Babel proiecta est meretrix Iezabel. fornicationum mater, idolorum cultrix, auaritiæ artifex: & cum sepelire eam uellent, quia erat filia regis, non inuenerunt nisi tantum caluariem, & manuũ summitates, & sanguine respersum parietem. Hæc sanè est impiorum sepultura, hæc digna retributio, quòd ex eis non nisi manuum summitates, hoc est, operũ uix extrema uestigia remanent: & caluaries, qui fuerat locus superbiæ spoliatus capillorũ gloria, quia uidi impium superexaltatum & exaltatum sicut cedrus Libani, & trãsiui & ecce nõ erat. Hæc est caluaries Iezabel, quæ uestita erat decore meretricio, & perunxerat oculos suos stibio. Decaluatus est superbiæ uertex: non est qui iam dignetur aspicere, nisi qui uoluerit nefas eius abhorrere, ut lauet manus suas in sanguine peccatoris, & uelut equus fortis & uelox meretricem proiectam ungula sua confodiat, & conculcet, & prætereat. Hic & paries adhuc sanguineus relictus est, ut terreat uiros sanguinum & dolosos, qui propter auaritiã suam lapidãt humilem Naboth. sed canes impudẽtissimi amatores cadauerum carnes sibi fornicarias incorporant, unde & sanguinem eius consequenter lambunt: quia sicut libidi-

nis, ita & ultionis participes erunt. Alij uerò sunt canes qui fiunt ex inimicis abyssi, qui famem iustitiæ patiũtur, qui circumeunt ciuitatem, non Babyloniæ, sed ecclesiæ: & quod mortuum à uitiis ibidem reperiũt, cõcedunt, & sibi consepeliunt. Vnde autem his quos extra ciuitatem mortuos uolucres, hoc est, dæmones per inane uolantes comedunt, quales fuerunt Achitofel, & Absalon, & IeZabel, & Iudas, qui accipientes in uano animam suam, in uano etiam efflauerunt eam.

Sed redeamus ad agrum Aceldama, ut ammiremur & æmulemur potius beatiorũ mansionum gloriã, quoniam memoria impiorum cum sonitu, memoria uero iustorũ uiuet in secula seculorũ, quales fuerũt Ioseph qui erat decurio uir iustus & bonus, & Nicodemus qui quõdã noctis, sed iam diei minister ad perungendũ corpus dominicũ ferebat mixturã myrrhæ & aloes quasi libras centum. Tales sepulturæ suæ ministros amabat Iesus, qui corpus eius audacter eripiãt de potestate tenebrarũ & sibi uendicent, ut sciat unusquisque uas suũ possidere in sanctificatione & honore, ligantes illud castitatis legibus, & disciplinæ linteis, & à uermium putredine cõseruãtes per mixturã myrrhæ & aloes. Sunt enim hæ species amaræ quidẽ, sed corruptelã remouẽtes: quoniam laboriosa quidem est castigatio carnis, sed aliter neque mens neque ipsa caro seruatur imputribilis. quasi libras centum. O mensurã bonam & confertam: librandum sanè est inter corpus & animam discretione subtilissima, ut unumquodque plenum suum se habere gaudeat, & fiat pax & æqualitas inter carnem & spiritum, quatenus & mensura teneatur & non de-

feratur perfectio. Hæ sunt quasi libræ centum quæ corpus Iesu in sepulchro fidelium integrum semper & suaue custodiunt.

En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt omnes tenentes gladium & ad bella doctissimi. Lectulus tuus Iesu Christe plusquam Salomon, sepultura tua est, in qua sabbato requiesti ab omni opere quod patrasti. Est autē monumētum tuum in orto nouum & in petra excisum, quia amica tua fidelis anima ortus cōclusus est, & renouatur quotidie in agnitione tua, & solidatur in petra amoris tui cōsepeliēs seipsam tibi in interiore homine in secreto tabernaculi tui. ibi te ambiūt sexaginta fortes ex fortissimis Israel, in quibus opera sex dierū opera bona & ualde perfecta sunt, ut in senario & denario legis imaginē & similitudinē tuā cōseruēt: isti melius te custodiūt quàm fallax impiorum custodia, qui sunt ad bella doctissimi, non solum carnis illecebras, sed etiam potestates aereas, nocturnósque timores abigere. Illi autē qui nocte sicut ebrij sepulchrum tuū obsident, illi trepidauerunt timore ubi non est timor: quoniā potestas tenebrarum lucem non sustinens ad muncīū uitæ facti sunt uelut mortui. Non ergo te custodiunt filij noctis, sed filij diei: illis enim horrorē incutit splendor tuus, ut fugiant à te: istis autē gaudium, ut approximent ad te. Nobis, aiunt, dormientibus uenerunt discipuli eius & furati sunt eum. O mendaces, uerum dixistis, sed mentita est iniquitas sibi. Dormientes enim Christum custodire non possunt: sed qui mane, inquit, uigilauerint ad me, inuenient me. Vobis quippe dormientibus quid nisi somnia apparent? ecce habetis copiosam in

manibus pecuniam, illam si potestis custodite, ne fures effodiant uel furẽtur. nam discipuli Christi suum thesaurum diligenter custodient. unusquisque quod amat, hoc seruare studet. Certe Michol amabat Dauid magis quàm patrem suum Saul, ideo per fenestram dimisit eum & seruauit. Quid est hoc? Michol filia Saul, filia quondam superbiæ, postquã nupserit speciosó Dauid, incipit odisse patrem suũ, cui dicitur in psalmo: Audi filiá & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere domum patris tui, & concupiscet rex decorẽ tuum. Vnde per fenestram demittit Dauid. illam intellige fenestrã, per quam dilectus mittit manũ suã: per hanc fenestram demittitur ab amica sua ad amicam suam, hoc est, ad seipsam, & absconditur in interiore homine, ubi & securus uiuat, & iniquos lateat. Abscondit enim se & exiit de templo perfidiæ: quoniam dum citharizat coram Saul, ut spiritum domini malum faciat ab eo recedere, ille impius hasta eum cum pariete tentat configere. Sed declinante Dauid, quid est quòd parieti hasta infigitur, nisi quòd recedente Christi gratia mens indurata suæ malitiæ telo confoditur? quid autẽ ita hodieq; perosum habet rex tenebrarum Saul, quàm Dauid generum suũ? propter quod absente Dauid filiã suã tulit & dat alteri marito ignobili. sed manu fortis cũ redierit & acceperit regnũ, rursus suã sibi uendicat, quia despõderat sibi eã ducẽtis præputiis, à qua nõ solum carnis sed & mẽtis immũdicias abscidat. Væ peccatoribus domine sepulchrũ tuũ obsidẽtibus, quoniam uerè declinas ab eis, & nõ inueniũt te in lectulo tuo suaui & florido, sed potius offendunt statuam cordis sui tenebris inuolutam.

habentes ad caput suũ pellem caprinam peccatorũ suorum memoriam fœtentem. Beatus autem qui uigilat ad monumentũ tuum, & custodit te, & luctatur mane cũ angelo resurrectionis, nec dimittit eum donec audiat aliquid de nomine eius quod est mirabile, ut & nomen Iacob commutetur in Israel, & transmisso amne doloris statim oriatur ei sol iustitiæ.

Quis reuoluet nobis lapidẽ ab ostio monumenti? Clausum est domine ostiũ mentis meæ, & premit intellectum meum lapis mortalitatis prægrauatus pōdere iniquitatis meæ, nec humanæ prorsus uires ualent amouere, nisi omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus ueniat, angelus consilij qui diruit maceriam inimicitiarum, & aperiat nobis sensum ut intellegamus scripturas, & uideamus linteamina posita ante nos, humilitatis et resurrectionis tuæ uerissima testimonia, in quibus qui te scrutari te adiuuante potuerit, prægustabit aliquid de gloria resurrectionis quã præparasti diligẽtibus te, cuius primitias in sinu tuo iam collegisti, offerens eas semper in conspectu patris tui tostas igni spiritus sancti. Et ille quidem angelus tanti gaudij prænũcius qui reuoluit lapidem & impias mentes perterruit, pias autem blande leniens timere prohibuit: ille inquam angelus non tantum uerbo, sed & uultu, habitu uel tactu beatæ resurrectioni testimonium perhibuit. Reuoluit enim lapidem & super eum sedit: lapidem inquam qui & nunc aduolutus est super nos & faciem nostram deprimit: quod in prima resurrectione, quæ est animæ, fieri non dubium est, ut prementem se corruptionis sarcinam uersa uice spiritus subiiciat, & uelut iudex ac dominus inferioris sui reg-

men accipiat. Quid autem per cādorē niuis, & uestimētorum speciem, nisi corporis nostri frigida & mundissima castitas signatur, quae praesidenti in se angelicae claritati similis & testimonium praebet & obsequiū? Porrò aspectus eius interior ubi signatum est lumen uultus tui domine, sicut fulgur & terribilis est & lucidus: terribilis, ut inimicos animae scindat medios & perterreat: lucidus autem, ut tibi uero lumini cum iustitia semper appareat. Talis erat facies Moysi ex consortio sermonis tui, hoc est, luminosa & terribilis, quia cornuta erat ad uentilandum inimicos, & uelata propter splēdorem quem carnales oculi ferre non poterant. Et nunc domine scimus & gaudemus quia resurrexisti uerè à mortuis, & lōgè diuisus es à nobis adhuc mortalibus, quia ascēdisti super equos tuos igneos, & currū igneum, qui decem milibus multiplex est. ueruntamen cecidit nobis à te, & apud nos usque hodie remāsit, pallium tuum. Quae sunt linteamina corporis tui, quibus potentiae tuae opem experiamur in tempore opportuno, ut spiritus tuus duplex fiat in uisceribus nostris, quatinus in te & Deū & proximū diligamus. Circundederūt nos dolores mortis, & tribulationes inferni conturbauerunt nos: circundedit nos mortalitatis nostrae uestimētum scaturiēs uermibus, qui me assiduè comedūt & non dormiunt, qui sunt dolores praenuntij doloris illius maximi, qui uenit super nos uelut armatus, & improuisos molitur obruere. Et quis tam prouidus ut terrorem illius possit sustinere? Attamen uelimus nolimus certe sustinendus est, certe transmeandus. Sed noli obliuisci pallium Heliae, alioquin torrens tibi sine illo non diuidetur. Sunt & alij

torrētes iniquitatis pelagus peccatorū meorū, qui contur bāt me: atq; utinā sic cōturbarent ut cum dolore clamarem, pater mi, pater mi currus Israel & auriga eius. Cōturbāt enim me torrētes iniquitatis, auferētes mihi lumē oculorū meorū, ut nō poßim uidere piißimū Heliā quādo tollitur à me: si enim uiderē, profecto spiritus eius duplex fieret in me, & clamarem: pater mi, pater mi. Misit Deus spiritū filij sui in corda nostra (ait apostolus) clamātem, abba pater. Duplex spiritus duplo clamat, pater mi, pater mi: pater mi creator, pater mi reformator. Pater mi, pater mi: ô uox affectuosa, currus Israel & auriga eius: portas & regis: sustines & gubernas: quē? Israel credentem in te, sperātem in te, suspirantē ad te: ecce sublatus es, amplius te tuus nō uidebit Helisæus: remansit tamen ei palliū tuū in memoriā tui, ut præsentia absentiæ tuæ dolorem eius semper & augendo leniat, & leniēdo augeat. Hoc sumite, ait, in meā cōmemorationem: hoc est sacramentū corporis tui quod sumimus in tui cōmemorationem donec uenias. Palliū tuum est caro tua qua uestitus ad nos proceßisti, & latuisti quidē perfidos, sed fidelibus tuis teipsum ostēdisti sicut & usque hodie. Sub hoc pallio abscōdita est maxima fortitudo tua ô fortißime Sāson, quā etiā dilectæ nō diligēti te ad ultimū nō celasti, ut inimicā uerteres in amicā. In tātum amasti mulierem non amātem te, sed persequentem, ut propter amorē eius sapientia tua stultesceret, & fortitudo tua infirmaretur. Sed quod stultum est Dei, sapientius factum est hominibus: & quod infirmum Dei, fortius hominibus, quoniā uolūtarie teipsum patri sacrificās, & ex potestate tua moriēs concußisti principes te-

nebrarũ, & regnum eorũ attriuisti, & facta est crux tua Iudæis quidẽ scandalum, gentibus autem stultitia, his autem qui credũt, dei uirtus, & dei sapiẽtia. Quãdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à te domine. ambulas quidẽ cũ his qui diligũt te, & loquũtur & tristãtur super te, sed tamen peregrina est facies tua: & cũ cognoscas eos, nõ tamẽ cognosceris ab eis. Verè tu es ille Ioseph qui ad fratres tuos quasi ad alienos durius loquebaris, nõ indignatione sed miseratione, dũ illos duos in uia ambulãtes, & docebas, & arguebas, ô stulti & tardi corde ad credẽdũ. Veniunt ergo ad te quasi alieni fratres tui, sed tu benignè appropinquas eis: ueniũt ad te cũ asinis stultitiæ & tarditatis suæ, & cũ saccis uacuis præ inopia, sed nõ solo frumẽto reples eos, quin & pecuniã reddis ligatã in ore sacculi: aperto, inquit, unus sacco ut daret iumẽto pabulũ, inuenit pecuniã in ore sacculi: reddita est, ait, mihi pecunia: en habetur in sacco. quid nam est quod fecit nobis Deus? uacui & stulti ueniũt ad te, sed tu remittis eos onustos & abũdãtes frumẽto sapiẽtiæ tuæ: insuper & eloquẽtiæ pecuniã reddis ligatã auctoritate scripturæ, quia linguas infantiũ facis disertas, ut dẽt iumẽtis nõdũ intelligẽtibus te pabulũ & mẽsurã triticã in tẽpore suo. Gradere nũc & nobiscũ domine, ne desolemur & tristemur in uia hac qua ambulamus, quoniã tu ipse quõdã præcedebas filios Israel in colũna nubis per diẽ, & in colũna ignis per noctem: & ad nutũ tuũ deponebãt tentoria, & rursus erigebãt. Quæ est nubes quæ præcedit ueros Israelitas, nisi uerissimũ & sanctissimũ corpus tuũ qđ in altari sumimus, in quo uelatur nobis altitudo diei, immẽsitas maiestatis

tuæ, cuius & calorē & splendorē mortalis infirmitas sustinere nō posset, nisi mediatrix nubes interposita & ardorem temperaret desuper, & tutā subtus se uiam præmonstraret: hāc nubem totus exercitus tuus sequitur domine rex Sabaoth: *qui autē non sequitur eā in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat: relucet enim de hac nube semita quæ ducit ad uitam, semita humilitatis & patientiæ, semita mansuetudinis & misericordiæ, & quicquid humano generi per incarnationis tuæ mysterium reuelare dignatus es.* Relucet nobis *ex hac luce legis & prophetiæ gloria: quoniam* Moyses & Helias *tecum apparuerunt in monte, sed nubes lucida obumbrauit eos, nec ipsi enim sicut & nos sine tua protectione saluari potuissent: ueruntamen illis sicut amicis & domesticis, imò domesticorum & amicorum tuorum præcipuis sacramenti tui nubes erat perlucida, quæ nobis iacentibus & proiectis à facie oculorū tuorum ualde subobscura est: sed imperfectum meū uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, quoniam sub nube tua nutris & perficis, & deducis uelut ouem* Ioseph. *Hæc est colūna nubis quæ p diē præcedebat filios* Israel: *colūna uerò ignis per noctē spiritus sanctus est, qui super apostolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis nostræ caligīnē illuminat & sursum erigit, ut sapiamus ea quæ sursum sunt, nō quæ sup terrā.* Nubes *ergo per diem & colūna ignis per noctem, quia & caro tua diuinitatis æstum tēperat, & spiritus sancti lux tenebras nostræ mētis illustrat.* Igitur *dū loquereris in uia duobus discipulis tecum pariter euntibus, & nubes peregrina faciem tuam tegeret, nónne (inquiunt) cor nostrum ardēs erat in nobis dum nobis*

loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas? Arde- *bat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.* Sed *ubi tandem cognouerunt eum? in fractione panis. & uerè non cognosceris domi- ne, nisi in fractione panis. panis, caro tua est. fregisti ma nibus tuis corpus tuum, quia potestatem habebas ponen di animam tuam, & iterũ sumendi eam: fregisti corpus quod foris apparebat, & ostendisti medullã quæ intus latebat. nisi enim patiaris non cognosceris. ibi, inquit, ab scondita est fortitudo eius. Quæ est autem fortitudo tua nisi mansuetudo, nisi humilitas, nisi patiẽtia & obediẽ tia?* Has *uirtutes fortissimas & suauissimas in fractione panis, hoc est, in passione tua nobis ostẽdisti.* His *uirtuti bus caro tua, quod nos sumus, nutritur paulatim & p ficit & perficitur.* Et *primũ quidẽ inter duas molas spei & timoris molitur sicut frumẽtũ, ut fiat noua consper- sio: deinde cũ in formam panis trãsierit, coquitur in cli bano passionum: postea cum benedixeris ei omni bene dictione spirituali, & dixeris, consummatum est, fran- gis & ipsum corpus nostrum quod in manibus tuis est, & in manus tuas committimus, & ibi agnosceris, non specie peregrina, sed in facie propria: ut iam non lan- cea nobis latus tuum aperiat, sed digito palpare & ui- dere possimus, quia tu es, domine* Deus *noster.* Pa- *ter orphanorum & iudex uiduarum, nunquid non ui- des uiduam hanc pauperculam & desolatam animã meam, non habentem aliquos, neque fratres, neque ami- cos, neque uicinos à quibus mutuũ accipiam uasa uacua non pauca, quæ mihi filij mei suggerant, & ego infun- dam de modico olei quod mihi de te residuum est, ut tu*

benedictionis tuæ plenitudinem omnibus exhibeas. In*telligo enim domine uasa uacua, esse literales quosdã & historicos sensus scripturæ tuæ, quæ non pauca sunt ut totus mundus ea capere non possit: quæ quidem uasa sanctissimi tẽpli tui* Babylonius rex, *hoc est, superbia principatus captiua sibi ducit, suisque conuiuiis, non ad gloriam, sed ad ignominiã suam seruire cogit, usurpans sibi scientiam legis tuæ, & bibens in uasis sanctuarij uinum prostitutionis suæ, unguẽtisque meretriciis donaria tua commaculans.* Propter *quod & ex aduerso parietis crudelis, sed iusta, contra eos sententia conscribitur, quia omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & tradetur* Medis & Persis, *qui argentum non quærant, nec aurum uelint, sed uenenatis & ardentibus sagittis paruulos & stultos eorum sensus interficiant.* Tu *autẽ domine pauperis & desolatæ uiduæ misereberis, ne pessimus & inopportunus fœnerator ꝗ, ad usuram perditionis meæ multa mihi iniquitatis suæ talenta credidit, duos filios meos interiores animæ sensus ad seruiendum sibi tollat.* Bonum *& salutare consilium tuum ut petam mutuo uasa non pauca, & benedictione superabundantis olei redimam peccata mea, de reliquo autem uiuã cũ filiis meis.* Sed *quia nec uicinos habeo, nec liberos à quibus commodẽ exercitium mẽtis meæ, statim ut remisero manus, inuadit me creditor ille improbus, & duos filios meos, hoc est, intellectum & affectum inertiæ uanisque illusionibus suis deseruire cogit.* Tu *ergo misericors, uiduarũ defensor, quoniam diues es nimis, & das omnibus affluenter: tu inquã ipse mihi cõmoda, & uasa quæ nosti ad hoc esse utilia, & oleũ: ut tua sint o-*

mnia & omnia seruãt tibi, quia nolo in Aegyptũ oleũ tuũ deferre ut non peccẽ tibi, sed tantummodo ne panẽ ociosa comedam, quin potius tota die exercear in iustificationibus tuis & uiuam. Et ecce quod filius memoriae meae mihi obtulit, sicut primum inter manus meas incidit arripiã. Stabat Helias in uertice montis, & mittitur ad eum quinquagenarius primus, qui igni consumptus est, & secũdus similiter, tertius tamen humilitatis & deuotionis merito reseruatus est. Ecce uas, sed uacuũ, quia potius sic acceptũ crudelitatẽ resonat: impleatur oleo, & grauis ex eo sonus cessabit. Quis enim Helias stans in uertice montis, nisi tu domine Iesu, qui sursum patri adsistis! uenit ad te quinquagenarius primus, quem tibi aridus prae nimia siccitate mundus trãsmittit & clamat ad te, homo Dei descende de monte. Mundus enim cognoscit quia saluari sine te non potest. Homo Dei, & Deus homo, moueat te quẽ quaeris homo, ut homini cõdescẽdas. Descende de mõte: nullus tibi potest appropinquare, nisi tu appropinquaueris ei: Nullus ad te potest ascendere, nisi tu descendas ad eum. Homo Dei descende de monte: tu es mons eleuatus super uerticem montium, descende & compatere nobis in conualle lachrymarũ. Si homo, inquit, Dei sum, descendat ignis de coelo &c. Ignẽ enim ueni mittere in terram: & quẽ uolo ut accendatur & deuoret te & quinquaginta tuos. Obsecro domine & super me descendat ignis ille, & deuoret in me ueterem hominem cum actibus suis. Hic est quinquagenarius primus quem tuus ignis deuorat, ut ab omni opere seruili requiescere faciat. Quinquagenarius autem secundus, ipsa est actiua uita, quae similiter finem

habet sabbatum ex sabbato: hanc quoque in holocaustum ignis tuus absumit. & in primo quidem quinquagenario crematur hircus, in secundo aries incenditur: tertius autem, qui est resurrectionis uel contemplationis, finem non habet, sed cum Helia *semper uiuit: unde bene lectum est in* Euangelio *de magnis piscibus centũ & quinquaginta tribus qui omnes in unum piscem redacti sunt, quem super prunas positum septem discipuli uiderunt, & unà cum* Iesu, *qui octauus erat, pransi sunt.* Ipse *numerus, hoc est, centum & quinquaginta, qui sunt tres quinquagenarij, & septem discipuli requiẽ cõcorditer sonat: & sicut singuli quinquagenarij ad unitatem, ita septem ad octauam, hoc est, ad* Christum *tẽdunt, & in uno omnes consentiunt.*

Sicut *autem unum corpus, unus panis, unus homo, uel unus piscis* Christus *& omnes electi: ita diabolus cũ omnibus reprobis unum corpus, & unus hostis.* Est *enim aquila grandis magnarum alarum &c.* Aquila *propter nimiam naturæ spiritualis perspicaciam: grandis, propter superbiæ altitudinem: magnæ alæ adhærentes sibi & extollentes eum, malignorum spirituũ potestates: longo membrorum ductu, pessimi homines quorum ministerio fungitur ad pugnãdũ contra bonos: & bene longo, quia adhuc quotidie ueniunt, & durant usque in finem seculi ducatum superbiæ sequentes: plena plumis, fallaciæ dolis, & auaritiæ, quia easdem artes uariis modis ad decipiendum transfigurat: uenit ad* Libanum, *animam semel fidei & uitæ merito candidatam: tulit medullã cedri.* Cedrus *imputribilis, altitudo spei, cuius medulla est charitas, quam singulariter niti-*

tur expugnare diabolus: summitatem frondium eius auellit, & sermonem sapientiæ, qui excellentissimus est euellit ab amore Dei, & trasportauit in terrā Sennaar, hoc est; fœtoris eorum, quod significat inanem gloriā.

In die illa sibilabit dominus muscæ quæ est in extremo fluminū terræ AEgypti, & api quæ est in terra Assur: Sibila domine, & huic muscæ immundæ animæ meæ pecatrici, ut spiritus tuus bonus deducat me in uiā rectam, ut uadam ad excelsam & montuosam promissionis terram, quæ de superioribus tuis irrigatur, & de cælo expectat pluuiā, non sicut terra AEgypti quā fluuius de terra ebulliens totam cooperit. Non est enim mons oppositus, nō est aliquod obstaculum concupiscentiis AEgypti: sed sicut de terrena mente ebulliunt super detectam animæ superficiem, sine mora decurrunt. Habet enim septem ostia fluuius AEgyptius, quæ de uno capite, id est superbia deriuantur. Horum extremum intelligitur luxuria carnis, de qua muscæ immunditiæ semper amatrices nascuntur: nec istam despiciat superabundantia gratiæ, sed sibilat & euocat eam de extremo fluminū, & iungit api quæ erat in terra Assur, ut ueniat, & requiescant simul in torrentibus ualliū, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in uniuersis foraminibus. Apis uirgo est: sed quandiu in terra Assur, hoc est: elationis mel non potest operari: sola repromissionis terra lacte & melle fluit. Sibilāte ergo gratia, musca & apis conueniunt, & simul requiescunt in torrentibus ualliuum. In illis torrētibus & apis de superbiæ, & musca de luxuriæ sordibus emundantur. Torrentes uallium, disciplinæ sunt humilitatis. quare torrē-

tes ? quia si quis mœror, si qua grauitas in corrigendis uicijs, citò prætereunt: unde mulier cum parit, tristitiam habet: quum uerò peperit, iam nõ meminit pressuræ: nã labor uertitur in amorem, & tædium in desideriũ, & amaritudo in dulcedinem: sicq; de torrentibus uallium proficiunt ad cauernas petrarum. Petræ, *firmissimi atque fortissimi in fide patres sunt, in quorum passionibus ueluti suis exemplaribus musca & apis quasi columbæ nidificantes requiescunt: unde non cessat manus eorũ, nõ cessat pes, sed in omnibus frutetis bonorum operũ iugiter exercitatæ sic demum ad contemplationis foramina perueniũt.* Hæc *sunt opera tua* Domine Iesu, *quia sunt bona ualde.* Sic Mariæ Magdalenæ *sibilasti, de qua nõ unum, sed septem* Aegypti *flumina eiecisti.* Vide *quomodo requieuit in torrentibus uallium, intrauit inter epulas discumbentium, cucurrit ad pedes* Iesu, *effundebat super eos torrentes lachrymarum: ad lauanda sui domini uestigia non alias quàm oculorum suorũ undas attulit: capillis suis pro linteis usa est: tum uerò ubi affectus uehemẽtior incanduit & uberauit, carbo lachrymarũ imbre respersus fortius exarsit.* Videres *ab illa sacratis uestigijs creberrima & insatiabilia oscula infigi: uideres effusæ unctionis suauitate totam domũ cõpleri.* Quid *igitur illa nisi in torrentibus uallium requiescebat, de qua tot & tanti gratiæ torrentes effluebãt! unde & dimissis ei peccatis multis quia multũ dilexerat, iam sicut colũba quæ lacte est lota residebat ad pedes* Iesu *iuxta fluẽta plenissima, cũ quidẽ soror eius* Martha *satageret circa frequens ministeriũ.* Quid *memorẽ de sepulturæ officio quod præuenit de pedibus ascẽdẽs ad*

unctionem capitis, cum in ea fremeret illud auaritiæ sepulchrum fœtens odorem pietatis ferre non sustinens? Non potuit amor tantus Christo etiã moriẽte mori: fugientibus & latentibus uiris, hoc est, apostolis mulier imperterrita stabat ad monumentũ plorans. Non habebat uiuum, & tota super mortuũ ardebat. Corpus erat sublatũ, & à monumento recedere nõ ualebat. quò plus de manibus & oculis auferebatur, eo ardentius animus insequebatur. Si fieri posset pro redimendo corpore sepulchrum lachrymis impleuisset: stabat, inquit, plorans, id solum ei de te residebat. corpus erat sublatum, sed quis auferat ei ploratum? indulge domina, indulge totis habenis, & effunde procurrens in infatigabiles lachrymas, donec sublatum, imò resurgentem dominum tuum consequaris: iterum & iterum inclinare, uel locũ uacuum ubi positus fuerat sæpius intuere: amplius & amplius ipse te ad plorandum locus irritat, dũ eius quẽ quæris absentiam tibi repræsentat. Vidit, inquit, duos angelos in albis sedẽtes: unum ad caput, & unũ ad pedes ubi fuerat positum corpus Iesu: mulier, inquiunt, quid ploras? quem quæris? Equidem bene noueratis, ô piissimi angeli, quid ploraret, & quem quæreret: quare illam commemorando iterum in fletus excitastis? sed propè erat insperatæ consolationis gaudium, ideo tota uis doloris & plorationis excurrat. Conuersa retrorsum uidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus est. O pium, ô delectabile pietatis spectaculum! ipse qui quæritur & desideratur, & occultat se & manifestatur: occultat se ut ardentius requiratur, & requisitus cũ gaudio inueniatur, inuentus cũ sollicitudine

teneatur, & tentus non dimittatur, donec in amoris sui cubiculo mansionem facturus introducatur. Hac arte ludit sapientia in orbe terrarum, & deliciæ eius esse cum filiis hominum. Mulier quid ploras? quem quæris? habes quem quæris, & ignoras: habes uerum & æternum gaudium, & ploras: habes intus, quem foris requiris. Verè stas ad monumentum foris plorans: mens tua monumentum meum est: illic non mortuus, sed in æternum uiuens requiesco: mens tua hortus meus est. Benè existimasti quia hortulanus sum, secundus Adam ego sum, operor cum custodio paradisum meum. Fletus tuus, pietas tua, desiderium tuum, opus meum est: habes me intra te, & nescis, ideo quæris foris: ecce & foris apparebo, ut te intro reducam, & inuenias intus quem foris quæris. Maria noui te ex nomine, disce me cognoscere ex fide. Raboni, id est magister, quod est dicere, doce me quærere te, doce me tangere & ungere te. Noli, ait, me tangere sicut hominem, nec sicut prius tetigisti & unxisti mortalem: nondum ascendi ad patrem meum, nondum credidisti me patri coæqualem, coæternum, & consubstantialem: hoc igitur crede, & tetigisti me. Hominem uides, ideo non credis: quod enim uidetur, non creditur. Deum non uides, crede & uidebis: credendo me tanges, sicut & illa mulier quæ uestimenti mei fimbriam tetigit & confestim sanata est. quare? quia fide sua tetigit me. Hac manu tange me, his oculis quære me, his pedibus festina currens ad me, nec lõgè à te sum, Deus enim appropinquans ego sum, uerbum in ore tuo & in corde tuo sum. quid propinquius homini quàm cor suum? illic intus inuenior à quibuscunque inuenior,

nā quæ foris uidētur, opera quidē mea sunt, sed trāsitoria sunt, sed caduca sunt: ego autē horū artifex, in secretissimis & mūdissimis cordibus inhabito. Data est tibi domine Iesu omnis potestas in cælo & in terra rex magne, rex uirtutum, quia factus es obediens patri usque ad mortē, mortē autē crucis. Ecce eleuata est magnificētia tua super cælos, & omnia subiecta sunt sub pedibus tuis. Regnauit Dauid prius in Hebron septem annis super Iudam, postea uerò unctus est super uniuersum Israel, & regnauit in Israel triginta tribus annis. Cū autē super Iudam tantum ungereris fortissime Dauid in Hebron, iā mortuus erat in eis Saul rex superbiæ: alioquin uiuente illo & dominante eis peccato non dicerent tibi, os nostrū & caro nostra es. Quis enim mēbrum Christi & membrum simul potest esse meretricis? aut quæ conuentio Christi ad Belial? ecce nos, inquiunt, os tuum & caro tua sumus: sed & heri & nudiustertius cum esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israel. & uerè sic est. Regnante adhuc principe tenebrarum super nos, tu sustines in multa patiētia uasa iræ apta in interitū, & exis ante nos prouocans ad bellum contra uitia, & liberas & educis indignos de manu peccatorū. Idcirco primus Iudas, id est cōfessio ungit te super se regem in Hebron: mortuo quippe Saule beneficiorum tuorum reminiscitur, & errorem suum confitendo transitum facit de peccatis ad te rex iustitiæ. Regnas autem super Iudam septem annis in Hebron, quia reddis eis septuplum in sinu eorum, & septuplum uitiis expiatos quibus præerat superbus Saul tua uirtute septemplici reformas: postea transitus re-

gni tui fit in Hierusalē *super uniuersum* Israel,*quia per negotiū cōfeßionis illuminatis iā sensibus peruenitur ad uisionem pacis, in qua factus est locus.& ipse est mons quem constitueras discipulis ut irent in* Galilæam, *ut uiderent & adorarent te ibi post resurrectionem tuam, quia iam unxerat te* Deus *tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis,ut esses primogenitus mortuorū, & princeps regū terræ.* Porrò *in* Hierusalē *regnas triginta tribus annis:triginta, tres habet decades: in decade,lex quæ decē præceptis consistit:in ternario triplex animæ profectus accipitur, quæ uiuendo, meditando uel amando legem* Dei *custodit.*De *primo dicitur,laudabo* Deum *in uita mea:de secūdo,lex tua meditatio mea est: de tertio, quomodo dilexi legem tuam domine.* Tres *uerò qui super triginta sunt,quosdam contēplatiuorum excellentissimos indicant,qui puritate conscientiæ, plenitudine sapientiæ, perfectione charitatis summæ trinitati approximant.* Hic *est etiā numerus fortißimorū, qui sunt in exercitu tuo potētißime,quorū tamē eminētißimi usque ad sapiētiā & fortitudinē tuā non perueniunt,quoniā quis in nubibus æquabitur domino, similis erit domino in filiis* Dei! Tu *es quasi tenerrimus ligni uermiculus,qui uirginaliter æditus, humilitate & charitate tua omnem perforas duritiam, imò impetu spiritus tui octingentos interficis principes malitiæ.* Quis *ita fortis ut tu! quis ita misericors,qui flesti super* Hierusalem, *planctum fecisti super interitus inimicorum tuorum!*Et *nunc domine doles tu super* Saul *& super* Ionathan *filium eius,qui occūbunt quotidie super montes* Gelboe. Nisi *enim doleres,non clamares de cælo,* Saule Saule

quid me pſequeris? quos enim Saul, *niſi ſuperbos in* Ec*cleſia tua prælatos ſignificat, qui ab humero & ſurſum eminere ſibi uidentur ſuper uniuerſum populum? quid uerò per* I*onathan niſi dociles & elegantis ingenij adoleſcentes, qui moribus & colloquiis maiorum deprauati, amicitiam ſuam non poſſunt excolere cum* Dauid, *niſi furtim & quaſi cauentes ab inſidiis detrahentium & illudentium ſibi?* Merito *ergo ploras ô benigne* Da*uid ſuper* Saul, *& ſuper* I*onathan filium eius: plorandi enim non eſſent, ſi bene occubuiſſent.* Sed *ſuper montes* Gelboe *qui decurrunt in profundũ, nec ros* gratiæ, *nec pluuia doctrinæ ueniet amplius: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus* Saul. Clypeus *fortium ſpes eſt diuinæ protectionis, quo ignita diaboli iacula repelluntur, quibus grauiter uulneratus eſt* Saul *à ſagittariis, in tantum ut ſeipſum deſperatione interficeret.* Clypeus *autem* Saul, *propriæ uirtutis confidentia eſt, quæ non ualet reſiſtere ſagittis incircunciſorum: uæ autem his qui amiſerunt ſuſtinentiam, hoc eſt, clypeum fortium: & maledictus homo qui cõfidit in homine, quod: eſt clypeus* Saul: *erit enim ſicut myricæ in deſerto, quia nec ros nec pluuia ueniet ſup uos mõtes* Gelboe. Quomodo *ceciderunt fortes? & ſi enim fortes, quomodo ceciderũt? & ſi ceciderũt, quomodo fortes? ſed non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua: ſed qui gloriatur, in domino glorietur: & q ſtat, uideat ne cadat.* Nã *& ſi ſint aquilis ueloci ores, ut cõtẽplatiuos uelocitate intellectus ſupuolent: & ſi leonibus fortiores, ut in fortitudine operis ueros prædicatores ſuperẽt: tamẽ ſi de ſe præſumẽtes clypeũ ſalutis abiiciũt, erũt cor*

ruentes coram inimicis suis: qui autem confidit in domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum. Sed maluit Saul incumbere super hastam suam, quàm inniti super dominum: idcirco baculus AEgypti arundineus perforauit manum eius. Sua eum hasta & suus auriga, qui currum insolentiæ eius agitabat, interficit. Sciebam, inquit, quòd uiuere non posset. Nescit enim humiliari arrogantis obstinatio, ut uiuere possit. Iube rex iustissime David, iube puero tuo, id est spiritui puræ discretionis, ut interficiat in me Amalechitam hunc armigerum Saulis, qui ausus est etiam nunc quotidie manum mittere in Christum domini.

Ne pluas super nos coturnices domine, desideria carnis nostræ, quæ nō nisi duobus cubitis leuantur à terra, quia non attingunt dona spiritus sancti. Ne pluas super nos sicut puluerem carnes, quia caro puluis est & in puluerem deducit. Omne quod intrat in os in uentrem uadit, & in secessum emittitur: talis est omnium uoluptatū carnaliū finis, & sicut arena maris uolatilia pēnata: gaudet edacitas, pēnulas mouet, sed mox in arenā maris cōuertitur. gaudet luxuria, modicū uolitat, sed mox in arenā maris trāsit. omnis dulcedo carnis in amaritudinē finit: modicū leuant infœlicē animam, sed mox aggrauant in arenam. Tu autem domine manna nimirum es sicut semen coriandri, quod fractum mola candorem producit, & dulcedinem quasi panis oleati. Hic est panis angelorum, quem manducauit homo. Dicunt adhuc increduli, manhu: quid est hoc? quia minutum & humilem uident, & quasi despectum sermonē tuum, & ideo redeunt & concupiscūt carnes

magnas Aegyptias: quia nesciunt, neque gustauerunt absconditum intus mannæ saporem, habētem omne suauitatis delectamentum: redeūt ad carnes, exsiccant eas ad solem in circuitu castrorum. Mira res: *uno eodémque sole & carnes indurātur, & manna liquescit: siccātur carnes, ut amplius durabiles sint: indurātur iniqui, ut suas diutius expleāt uoluptates: tuū autē māna liquefiebat cū sol incalesceret, quia anima mea liquefacta est ut dilectus loquutus est.* Incalesce sup nos sol meridiane, ut liqueat manna, & fluant aromata illius sicut torrens in austro. Colligite filij Israel, colligite manna, & frāgite mola, & replebitur sicut adipe & pinguedine anima nostra. Molestus est labor, sed fructuosus: labores manuum tuarū manducabis, & iam beatus es, & bene tibi erit in futuro: frangite inquā mola corpus & animam, & inuenietis medullam: corpus, ieiuniis, laboribus, uigiliis: animam, diuinæ legis studiis. Non excidat tibi lux de ore cordis tui: uolue, reuolue, uersa, & reuersa: & tūc intelliges quid sapiat manna. Sic faciebat ille qui dicebat, q̄ dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super mel & fauū ori meo. Esto apis uirginea, collige de flosculis man. Habes ortū uoluptatis plenū rosis & liliis, mira uarietate depictū: quicquid illic inuenies, suaue est & odoriferū: conde abūdāter alueolo tuo. & quid amplius dicā? unus idémq; cibus & api mel, & ceruo fons aquæ, & panis qui cor hominis cōfirmat. hic est panis oleatus: sanat ægrotū, roborat sanatū, faciē exhilarat: omne delectamētū, & omnē saporē suauitatis habet. ubi sunt coturnices? ubi sunt carnes exsiccatæ? certe putruerūt in dētibus edētiū: si in dētibus putruerūt, quā

to magis in uentribus! imò etiã computruerũt iumẽta in ſtercore ſuo: panis autẽ angelorũ, quẽ mãducauit homo putreſcere neſcit, nõ uadit in ſeceſſum, ſed tẽdit in excelſum: illuc reducit hominem, unde traxit imaginem.

Diues es domine, & indeficiẽs eſt horreũ tuũ: ciba hodie pauperẽ tuũ de micis quæ cadunt de mẽſa filiorum tuorũ: clamat egenus tuus ad fores tuas, quia non habet hodie quod manducet. Domine ſic infirmus etiam ſum, quòd os meũ aperire nõ poſſum. O quàm ſanus erat qui dicebat, os meũ aperui, & attraxi ſpiritũ! ergo domine aperi labia mea, & ciba me laude tua: laus tua, uerus eſt cibus: de alio cibo non uiuit tota ciuitas tua Hieruſalẽ: quoniã tu adipe frumẽti ſatias, & torrẽte uoluptatis tuæ mebrias. Væ his qui ieiunãt à laude tua: nimirũ ſedent ſup ſtercora ſua, ut bibãt urinã peccatorũ ſuorũ, hoc eſt, tẽporalibus inhiant, ut carnis illecebras expleãt. talibus enim das terrã æneã, & cælum ferreũ, ut non pluat eis annos tres, & menſes ſex: quia nec fidei, nec bonorũ operũ fructũ faciunt. Terrã habẽt æneã, quia labia eorũ ſicut cymbalũ tinniũnt: & cælũ ferreũ, quia cor durũ & inflexibile gerunt. De qualibus pſalmiſta, Peccatori autẽ dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamẽtũ meũ per os tuũ! non uiuũt iſti de laude tua domine, ſed moriuntur fame, nõ panis & aquæ, ſed uerbi tui. Nõ autẽ interficies fame animã iuſti, quia in tẽpore ſiccitatis præcepiſti coruo & uiduæ Sareptanæ ut paſceret ſeruum tuum Heliam. Tu enim paſcis domine paſcentes te, unde etiam hydria farinæ & lecythus olei non deficit uiduæ paſcenti te. Paſcit te coruus, paſcit & uidua: ſed uidua pane ſubcineritio, coruus carne ueſpertina. Peccator coruus eſt. Coruus e-

rat Zachæus publicanus: unde etiam uolauit in arborem sycomorum. Hodie, inquit, oportet me apud te manere, hodie coruus pascet Heliã. Quomodo pauit? ecce dimidiũ bonorum meorũ do pauperibus: ergo pauit Christum, & pauperes cũ Christo, imò in pauperibus Christum. unde? de carnibus, hoc est, de temporalibus. tẽporalia enim & carnalia pro Christo relinquere, hoc est Christũ carnibus pascere: & hoc uespere fit, in cõfinio tenebrarum & lucis, ut proficiat & dicatur uespere & mane dies unus. prius pascit coruus, deinde uidua. coruus enim uidua fit: coruus mutatur in columbã, & gemitus edit: quare? quia uidua est, quia sponsus eius mortuus est, qui lauit eam à peccatis suis, hoc est, à nigredine corui. spõsus eius mortuus est: unde etiã in memoriã eius duo ligna colligit, ut faciat sibi & filio suo, hoc est spiritui, modicum uiaticũ, & moriatur cum spõso suo. Sed prius pascẽdus est Helias, & de ipsa farinula nouæ conspersionis faciendus est subcineritius panis, paruulus. Operũ nostrorũ primitias requirit Christus, & nõ ut alta sapiamus, sed humilibus consentiamus, cauentes à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. Iste simplex & humilis intellectus subcineritius panis est paruulus, quẽ à nobis exigit Christus: nec sine farina uel medio olei debet esse & bona mulier, quia hilarem datorem diligit deus. Sed quisquis habet farinæ uel olei paululũ, sibi uidetur quia esurit & sitit iustitiã. Nõ habeo, inquit, nisi quãtum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululũ olei in lecytho. pugillus, exigua est capacitas: farina, mũdus & subtilis fidei cãdor: hydria, humilitatis circũspecta custodia, ne uentus superbiæ tã-

tam gloriam in puluerem deducat & dispergat. Qui modicũ in se habet, intelligit quibus armis debet custodire, ne & hoc ipsum amittat. Ergo domine coruus & uidua pascunt te in Sarepta Sidoniorum, cui ficus maledicta aruit in terra Iudæorum. Publicani, meretrices, & peccatores præcedunt phariseos in regnum cœlorum. In domo pharisæi foris discumbis, in domo peccatricis intus epularis. Pasce domine pullum coruorum, filium peccatorum clamantem ad te, quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, tu autem non derelinquis sperantes in te.

Indurasti domine cor nostrum, indurasti cor nostrũ, ne timeremus te: opposuisti nubem, ne transiret oratio. Aufer à nobis domine, sicut & ꝓmisisti, cor lapideũ, & da nobis cor carneum, ut spiritum tuũ ponas in medio nostri: spiritus tuus adueniens, initium sapientiæ, timor domini, quasi basem & fundamẽtum ponit: timor autem domini stabile cor facit, ut domus septemplicis gratiæ superædificata perseueret immobilis. Tu nosti domine quàm inquietum est cor meum, & instabile sicut puluis, & uelut arena maris: ut quicquid moliar superædificare, potius in ruinã capitis uidear coaceruare. Quàm bene dictũ est, peccatũ peccauit Hierusalẽ, propterea instabilis facta est. Peccatum peccauit, scelus coaceruauit, propterea instabilis facta est: nũc foris, nũc intus, nũc in angulis platearũ garrula & uaga, quietis impatiẽs, nec ualens in domo cõsistere pedibus suis. Ecce q̃ bene depicta est meretricalis uecordia animæ meæ: & quid faciã? reuertere ad priorem uirum tuum, & noli diuaricare pedes tuos omni transeunti, propterea insta-

bilis, & uilis facta es, nimis iterans uias tuas: peccatum peccauit Hierusalem, uias suas nimium iterauit. Redi ergo ad uirum tuum priorem, & dic ei, confige timore tuo carnes meas: & ille tibi, prohibe linguam tuam à malo, coerce gulam, iugula luxuriam, omnes corporis tui illicitos motus amputa. Quicunque sunt Christi, carnem suā crucifixerunt. Nō satis est hoc, fecerunt hoc philosophi, fecerunt hoc inanis gloriæ cupidi, faciunt hypocritæ, carnem suam crucifixerunt, sed mercedem à Christo nō acceperunt: quare? quia timorem domini non habuerūt. Confige timore tuo carnes meas. multi carnes confixerūt, nō tui timore, sed uanitatis amore. nō satis est hoc: cōfige timore tuo, nō solū carnis, sed & animæ luxuriam: animæ luxuria, est inanis gloria. perdidisti omnem qui fornicatur abs te. Quid refert perire carnis immunditia, an animæ luxuria? Ergo non solum carnis, sed & animæ crux tollenda est. Mēbrorum mortificatio, crux carnis est: crux animæ, timor domini: timor dei configit animam, ut non respiciat ad dexteram neque ad sinistram. Est & tertia crux spiritus, quæ est charitas. Christo, ait apostolus, confixus sum, quis me separabit à charitate Christi? illa crux, hoc est charitas, cor meū carneū & molle & tenerū facit: unde & per uitulū tenerrimum Christum intelligimus, præ nimia charitate crucifixū. Ad illam ergo crucem qui peruenit, compositam nubem transit, & in conspectu dei orationem effundit. Vnde etiam Moysem in monte Sinai sex diebus nubes operuit, septimo autem die uocauit eum dominus de medio caliginis. Erat autem, inquit, species gloriæ domini, quasi ignis ardens super uerticem montis, in conspectu

filiorum Israel. Ingressusque Moyses medium nebulæ ascēdit in mōtem. Quid enim per sex dies quibus nube tegitur Moyses intelligitur, nisi sex illæ uirtutes quibus ascēditur ad sapiētiā? in solo autē uertice sapiētiæ, ignis charitatis ardētissimæ speciem diuinæ gloriæ declarat. quicquid infra septimū sapiētiæ gradū est, caligo reputatur & nubes. Prima igitur crux, per timorē, & pietatem, & scientiam, carnē crucifigat: secunda crux, animæ fortitudinem, cōsilium & intellectum possideat, ut fortitudine terreat diabolum, cōsilio diligat proximū, intellectu custodiat semetipsum: nam tertia crux hæc omnia transcendit, & collecta in unitate charitatis in pace in idipsum dormiens requiescit.

In principio domine cælum & terram, hoc est, angelicam & humanā naturam creasti: sed facta hac breui mentione de angelis, ad solū hominem sermo tuus cōuertitur. Terra autem erat inanis & uacua, & tenebræ super faciē abyssi. Videmus domine & præsto est sensibus nostris magna & mirabilis hæc machina mūdi, quæ sua pulchritudine & magnitudine, sapientiam, & uirtutem, & bonitatem immensam, incomprehensibilem & æternam prædicare nō cessat. Verum & hæc quāuis omniū & sensum, & facundiam mortaliū superent, ad nouum potius cælum & terrā nouam, quæ tu modo creare te asseris, aciem mentis intendere libet. Dicis enim in euangelio tuo, quia pater meus usque modo operatur & ego operor: quid nisi nouum cælū & nouam terram? De abyssis enim terram formas, & de terra cælos. peccator, abyssus est: sed cū de tenebris facis lumen splendescere, ut abiiciant opera tenebrarum, &

induātur arma lucis. nouam terram & nouum cælum creasse cognosceris. Ecce animaduerto domine quia terra mentis meæ adhuc inanis & uacua est, & tenebræ super faciem abyssi: inanis est, quia fluitat misera inquietudine, per inania nugarũ & fantasmatum suorũ, uacua bonorum operum fructibus. Vel sicut habet alia translatio inuisibilis & incomposita. Est enim uelut quoddã chaos confusione sua teterrimũ & inuolutum, ignorãs tam finem suum q̃ principium & naturæ suæ modũ, nisi ꝗ à summo creatore de nihilo mirabiliter factã se credit, & post hãc uitam uel ad inferos pro suis meritis, uel ad cælos pro misericordia sui auctoris trãsferendam. Incõposita sanè est quæ uirtutum decorem & diuinæ imaginis cui assimilata est speciem non seruat: ideo in abyssum cæcitatis suæ retunditur, & tenebris illusionum suarũ facies illius obscuratur. Talis est anima mea, deus meus, talis est anima mea: terra est inanis & uacua, inuisibilis & incõposita, & tenebræ super faciẽ abyssi: ueruntamen ait, & abyssus dedit uocem suã, & abyssus inferior & obscura inuocat abyssum inferiorẽ te qui exuperas omnẽ sensum. Inuocat te domine abyssus mẽtis meæ, ut etiã de me nouã terrã, & nouum cælũ crees. Hoc inuocabat Dauid, & nos cũ Dauid inuocamus, cor mundũ crea in me Deus, & spiritũ rectum innoua in uisceribus meis. Iam aliquid se factũ esse sciebat, sed noua creatura, nouum cælum & terram fieri se poscebat. Auribus nostris audiuimus, & patres nostri narrauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum: hoc opus est in diebus, unde dicit, pater meus usq; modo operatur, & ego operor: finxisti enim singl-

latim corda eorum,creans in eis lucē, & diuidēs lucē à tenebris,appellās lucē,diē: & tenebras,noctē: hoc est quod operatus es in diebus eorū, & in diebus antiquis. horum dierum senex Abraham & alij quamplures pleni fuisse commemorantur: sicut & illi quibus dicebat apostolus, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. O creator optime,si usque modo operaris opus hoc quod operatus es in diebus antiquis, quare & in anima mea opus hoc non operaris! Anima enim mea inanis & uacua est, & tenebræ super faciem abyssi.Dic ut fiat lux,& fiet.iam creasti eā, ut aliquid sit:crea eam,ut lux sit.Dic ut fiat lux, & fiet lux. Hoc opus & in Lazaro & in Paulo operatus es: illius facies sudario ligata erat, quia tenebræ erāt super faciem abyssi:huius ab oculis cum baptizaretur tanquā squamæ ceciderunt, ut reuelata facie gloriā domini specularetur. Istæ sunt squamæ, quæ cor meum assidue corā te faciunt dormitare.per has apostoli & in agone tuo dormitabant:erant enim,inquit, oculi eorum grauati. Sed iam hora est domine nos de somno surgere,tuba tua crebrius intonante:Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Illumina Christe tenebras meas:dic animæ meæ fiat lux, & fiet lux.

FINIS.

